



**Dissertatio historico-medica inauguralis de Brayera  
anthelminthica, vulgo Koussou, famoso Abassinorum adversus  
taeniam remedio, observationibus cum aliorum, tum propriis  
comprobato**

<https://hdl.handle.net/1874/315542>

MDCCLXX

XIX

DISSERTATIO HISTORICO-MEDICA INAUGURALIS

DE

BRAYERA ANTHELMINTICA, VULGO KOUSSO, FAMOSO  
ABASSINORUM ADVERSUS TAENIAM REMEDIO,  
OBSERVATIONIBUS CUM ALIORUM, TUM  
PROPRIIS COMPROBATO.

GEZAM. VER. VAN DE VERENIGDE AMSTERD.  
AANSTELINGEN AAN DE UNIVERSITEIT  
GEZAM. VER. VAN DE VERENIGDE AMSTERD.  
AANSTELINGEN AAN DE UNIVERSITEIT

DISSERTATIO HISTORICO-MEDICA INAUGURALIS

DE

**BRAYERA ANTHELMINTICA, VULGO KOUSSO, FAMOSO  
ABASSINORUM ADVERSUS TAENIAM REMEDIO,  
OBSERVATIONIBUS CUM ALIORUM, TUM  
PROPRIIS COMPROBATO,**

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE.

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

**GERARDI JOHANNIS MULDER**

MATH. MAG. PHIL. NAT. ET MED. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

**Pro Gradu Doctoratus**

SUMMISQUE IN

**MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,**

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

**HENRICUS GERARDUS ALPHERTS**

**Culemborgensis.**

**A. D. XXIII M. Maji, anni MDCCCLIII, hora VI.**



TRAJECTI AD RHENUM,  
APUD W. F. DANNENFELSER.

MDCCCLIII.





PARENTIBUS

OPTIMIS CARISSIMIS

AVUNCULO DILECTISSIMO

**SACRUM.**



*Occasionem, quae edenti hunc libellum mihi conceditur, avide arripio, ut iis gratum animum significem, qui bene de me meriti sunt.*

*Inter illos Tu, carissime Pater! primum occupas locum. Jam inde a prima infantia ingenio meo stimulos ad studia admovisti, omnibusque quibus impertiri debet puerilis aetas, doctrinis erudiendum me curasti; quin ubi propter urbis natalis subsidia parciora occasio deërat, Tu ipse ducis et praeceptoris munus apud me suscepisti. D. O. M. diu te servet incolumem mihi et nostris enixe precor.*

*Quid tibi dicam, Avuncule dilectissime! qui post matris carissimae obitum eheu! praecocem, mihi semper fuisti tutor egregius ac in rerum varia conditione amicissimus. Multa pro tot tantisque beneficiis dicere nolo nec valeo;*

*hoc scias velim, animum meum prorsus tibi esse devinctum  
nec umquam illorum memoriam oblivione deletum iri.  
D. O. M. te remuneret pro paterna sollicitudine tibi que  
faveat et iis qui tibi cari sunt.*

*Quomodo, quum jam puerilis aetatis surgit laeta imago,  
inter praeceptores, quos habere mihi contigit aestumatis-  
simos, te praeterire possim, Vir Doct. BALFOORT, Gym-  
nasii Culemburgici Rector? Temporis, quo me Litterarum  
studio imbuere conatus es, semper memini discipulus  
gratus. Tuam et amicitiam et benevolentiam consuetam in  
me collocare pergas.*

*Vos, viri Clarissimi, qui Professores estis in Aca-  
demia Rheno-Trajectina, quorumque institutionibus prae-  
claris frui mihi licuit, gratias accipite meas sincere,  
inprimis autem vos, Viri clarissimi, qui Facultati*

*medicae adscripti estis. Nominatim vos compello, Viri clarissimi LONCQ et VAN GOUDOEVER, qui praeëstis exercitationibus clinicis in Nosocomio academico. Numquam vestra benevolentia et humanitas mihi defuerunt; mihi meisque studiis favere pergatis.*

*Officio dulci fungor, quum hic palam mihi profiteri licet benevolentiam, qua tu, Clarissime SUERMAN, Promotor aestumatissime, in conficiendo hoc specimine me prosecutus es; numquam enim te frustra adii, semper consiliis tuis egregiis mihi adfuisti.*

*Et tandem me converto ad vos, amici, quos hac in Academia relicturus sum. Praecipue vero vos hic specto, quibuscum per annos, quos hac in Academia degi, amicitiae vinculo arctissimo junctus, Utile dulci miscui. Pauci superestis, plurimi me antecessistis; triste itaque*

valedicendi officium valde imminutum est. Cum subit illius laetissima temporis imago, quod vobiscum Ultrajecti degi, non aliter potest, quin moerens locum relinquam, ubi tales mihi amicos acquisivi. In memoria mea vos locum principem tenere, persuasum vobis esse scio. Si vero amicitiae hujus firmæ memini, Academiam laetus relinquo, quia non opus est ut vota faciam, quae amicitiam hic ortam in posterum servent intactam, nam  
"Ubi rerum testimonia adsunt, non opus est verbis."



## DISSERTATIONIS CONSPECTUS.

---

INTROITUS . . . . . p. 1.

### CAPUT I.

HISTORIA MEDICAMINIS, CUI NOMEN BRAYERA ANTHELMINTICA,  
SIVE KOUSSO.

Flores Brayerae jam seculo sedecimo noti fuisse videntur (Godignus, Fernandez,) p. 5 Enarrantur, quae Bruce de Helminthiasi atque usu Brayerae in Abassinia tradidit. p. 8. Notiones, quas Brayera florum Brayerae accepit, de libello ab illo de Brayera edito; de cura quam licet frustra impendit ut medicamentum istud in Europam importaretur. p. 9. Referuntur, quae Riecke de floribus Brayerae retulit. p. 15. Sententia viatorum Combes et Tamisier, p. 15. De errore quem Bruce, quoad vermium speciem in Abassinia endemicam, commisit. p. 14. Exponuntur, quae de Taeniarum in Abassinia frequentia monuerunt von Katte, p. 14, Rüppel, p. 15 et Aubert, p. 15. De



itineribus, quae *Rochet d'Hericourt* in *Abassiniam* suscepit, p. 16. Referuntur quae *Beke*, p. 17, *Johnston*, p. 17, *Harris*, p. 17 et *Isenberg*, p. 18 de nostro tradiderunt argumento. De itinere, quod in *Abassiniam* susceperunt *Lefebvre*, *Petit* et *Dillon*, p. 18. Quae *Ferret* et *Gallinier*, p. 20. et *Pruner*, p. 20—22 retulerunt. Exponitur, non *Botriocephalum* latum, vero *Tacniam* solum in *Abassinia* endemice grassari. p. 20. Quae *Kirts* de floribus *Brayerae* retulit. p. 22. Enumerantur opuscula deinde de *Brayera* edita, quae confecerunt *Pereira*, p. 23, *Muller*, p. 23, *Frankl*, p. 23, *Meyer Ahrens*, p. 24 et *Philippe*, p. 24. Brevis conspectus harum sententiarum, p. 25.

## CAPUT II.

### BRAYERAE ANTHELMINTICAE BOTANICA DESCRIPTIO.

Denominationes diversae quibus *Brayera anthelmintica* in patria sua nuncupatur, p. 27. De nomine Europaeo, quo *Bruce* plantam designavit, p. 27. Descriptio botanica a *Bruce* confecta, p. 27. De denominatione *Hagenia abyssinica*, a *Lamarck* instituta, p. 30. Descriptio botanica, quam confecit *Willdenow*, p. 31. De nomine *Brayera anthelmintica*, a *Kunth* instituto, p. 32. Botanica descriptio, quam confecit *Kunth*, p. 32. *Brayera anthelmintica* innotuit *Tournefortio*, p. 33. Descriptiones botanicae quas confecerunt *Decandolle*, p. 34, *Endlicher*, p. 35, *Kurr*, p. 36 et *Fenzl*, p. 37. *Brayera* non ad *Dioecias* pertinet, p. 38. Sententias quae *Botaniam Brayerae* spectantes protulerunt *Ferret* et *Gallinier*, p. 38, *Johnston* p. 38, *Isenberg* p. 39. *Lefebvre* p. 39, *Aubert* p. 39, *Pruner* p. 39, *Schimper* p. 39, *Combes* et *Tamisier* p. 39, *Harris* p. 39, *Rochet d'Hericourt* p. 40. Botanicas descriptiones confecerunt *Aubert*

p. 41, Rochet d'Héricourt p. 42, Pruner p. 43, Johnston p. 43, Schimper p. 44 et Philippe p. 44.

### CAPUT III.

#### DE BRAYERAE ANTHELMINTICAE NOTIONE CHEMICO-PHARMACOLOGICA.

Analyses et indagaciones chemicae, quas instituerunt Kurr p. 45, Buchner p. 46, Wittstein p. 46 et Martin p. 47. De Kwoseino p. 47. Indagatio chemica, quam instituerunt Viale et Vincenzo Latini p. 48 Pharmacographia p. 49. De floribus Brayerae p. 49. De florum speciebus diversis p. 50. De illorum sapore et odore, p. 50, de illorum praetio, p. 50. Vitiaciones florum Brayerae, p. 52. De cortice Brayerae, p. 50, perverse ita dicto quum revera cortex Musenna fuerit, p. 53. De foliis Brayerae, p. 54. De capsulis et seminibus Brayerae, p. 54. Praeparata officinalia, p. 54. Extractum aethereum, p. 54. Extractum aquosum e floribus Brayerae, jam antea Aethere extractis, p. 55. Extractum aquosum, p. 55. De virtutibus medicatis p. 55. Cuiam principio virtutes illae debeantur? p. 56. Brayera, e tribu Spiraeacearum, Fam. Rosacearum, non a norma recedit vi sua anthelmintica p. 57.

### CAPUT IV.

#### DE TAENIAE IN ABASSINIA CAUSIS ET EFFECTIBUS, DEQUE FLORUM BRAYERAE USU ADVERSUS HANC VERMIUM SPECIEM IBI

##### RECEPTO.

De causis Taeniarum frequentiae in Abassinia, p. 58. Sententiae Godigni, p. 58, Combes et Tamisier, p. 58, von Katte, p. 59, Rüppel et Harris, p. 59, Rochet d'Héricourt, p. 59, Petit, p. 59, Ferret et Galli-

nier, p. 60, Johnston, p. 60, Aubert p. 60, Pruner, p. 65 et Schimperi, p. 65. Judicium criticum, quod Meyer Ahrens de hisce sententiis tulit, p. 65. Ex iis quae retulit Bilharz reprobatur Taeniam in Aegypto endemice grassari, p. 66. Sententia cujus est Silvester, p. 69. Vivendi ratio non omni vi in Taeniarum prolationem caret, p. 69. De effectibus Taenia in Abassinia productis, p. 70. Traduntur quae hac de re retulerunt Petit, p. 70, Aubert, p. 70, Pruner, p. 70 et religiosus quidam, p. 71. De praeparandi et administrandi florum Brayerae rationibus diversis in Abassinia, p. 72. Rationes indicatae a Godigno, p. 72, Bruce, p. 72, Riecke, p. 72, Combes et Tamisier, p. 72, Rüppel, p. 72, Rochet d'Héricourt, p. 73, Harris, p. 73, Petit, p. 75, Aubert, p. 74, Pruner, p. 74, Ferret et Gallinier, p. 75, Johnston, p. 75, Schimper, p. 76, et Kirts, p. 76. Enumerantur medicamenta, quae vulgo floribus Brayerae in Abassinia adduntur, p. 77. De Taeniarum casibus in Abassinia observatis, p. 79. Quae de iis monuerunt Petit, p. 79 et Rochet d'Héricourt, p. 81. De actione medicata florum Brayerae in Abassinia salutari aut nociva, p. 81. Sententiae, quas hac de re retulerunt Bruce, p. 81, Combes et Tamisier, p. 81, von Katte, p. 82, Rüppel, p. 83, Beke, p. 83, Rochet d'Héricourt, p. 85, Aubert, p. 85, Petit, p. 84, Pruner, p. 85, d'Abbadie p. 87, Ferret et Gallinier, p. 87, Johnston, p. 88, Kirts p. 88, Schimper p. 88. Quidquid de hisce omnibus sentiendum, p. 89.

## CAPUT V.

ENARRANTUR TAENIARUM CASUS IN EUROPA IN QUIBUS FLORES  
BRAYERAE ADMINISTRATI SUNT.

Observationes a Brayero factae, p. 90. Observationes



quas in Germania instituerunt Plieninger, p. 93, Kurr, p. 93, Riecke, p. 94, von Gietl, p. 94, von Breslau, p. 94, Rothmund, p. 94, Sigmund, p. 95, Wolff, p. 95, Societas medica Kirchheimi, p. 95, Comparatio quam Albers inter flores Brayerae et extractum Filicis maris aethereum instituit, p. 96. Quae observaverunt in Gallia Frankl, p. 97, Aubert, p. 98, Rochet d'Héricourt, p. 100 Sandras, p. 100, Gueneau de Mussy et Delpech, p. 101, Merat, p. 104. Referuntur quae Philippe, tradidit de conditionibus quas administratio postulat, p. 104, de Brayerae praeparandi et administrandi modo, p. 104, de cautionibus post usum p. 105 deque expulsionem Taeniae p. 105. Quae observaverunt Combes, p. 106, Martin Solon, p. 106, medici in Nosocomio cui nomen Val de Grâce, p. 108. Quae de corticis Musenna commodis monuit d'Abbadie p. 109. Observationes quas instituerunt medici Anglici Budd, Marshall Hall et Todd, p. 110. Conditiones, quae, momento Budd, ad debitam florum Brayerae actionem magni sunt momenti, p. 112. Quae observaverunt Inglis, p. 112, Wood, Massen, Richardson, Neville et Mitchel, p. 115, Bushnan, p. 115, Cotton, p. 114, Wells, p. 115, Taylor, p. 116, Brougham, p. 116, Smith, p. 117, Barclay, p. 118, Jack, p. 119, Silvester, p. 120, Vaughan et Daubenay, p. 120. Quae Pereira de actione medica et physiologica florum Brayerae tradidit, p. 121. Quae de florum Brayerae administratione in Helvetia observavit Hasse, p. 121. Observationes quas in Italia instituerunt Oliari, p. 124 et Masserotti, p. 125. Quae in Belgio observavit Hannon, p. 126. Quae in patria nostra observaverunt van der Leeuw, p. 127, Suerman, p. 128, et Danckerts, p. 150. Observationes propriae in Taenias, p. 151. in Ascarides vermiculares, p. 151. Experimenta quae cum floribus Brayerae in animalibus instituerunt Schwartz, p. 154 et Biber, p. 155. Quae de floribus Brayerae obser-

vavit Küchenmeister, p. 156. Cuinam principio flores  
Brayerae vim medicatam verosimile debent, p. 162. Infusum  
praeparatum efficacissimum est, p. 163. Quidquid ex obser-  
vationibus aliorum de vi medicata censendum, p. 165. Quae  
observationes propriae docuerunt de actione physiologica,  
p. 164, de actione medicata p. 164. de dosi, p. 165

TABULAE EXPLICATIO . . . . . p. 166.

## INTROITUS.

---

Morbis endemicis peculiaribus, quos recentiori demum tempore cognovimus, profecto Helminthiasis in Abassinia annumerari debet. Cum morbo, simul nobis innotuit actio in eundem praeclara multorum medicamentorum ibi usitatissimorum, quorum numerus permagnus dici potest. Utuntur enim, referente Clar. MARTIO, Abassini septemdecim illorum. 1) Jure merito igitur hac de re monuit doct. PETIT, naturam, quum omnibus Abassinis Taeniam praeberet, simul Anthelminticorum numerum in Abassinia auxisse. 2)

Inter omnia haecce medicamenta, unum ceteris usitatius

---

1) Ueber Abyssinische Bandwurmmittel von Dr. F. W. C. MARTIUS, Jahrb. f. pract. pharm. Bd. XXII s. 329.

2) In libro cui titulus «Voyage en Abyssinie, executé pendant les années 1839—43 par une Commission scientifique composée de M. M. TH. LEFEBVRE, lieutenant de vaisseau, A. PETIT et QUARTIN DILLON Docteurs Medecins, Naturalistes du Museum, et VIGNAUD dessinateur, publié par ordre du Roi, première partie, Relation Historique, Paris, Tom II. pag. 363, sequentia legimus» si la maladie est commune, les moyens qu'on lui oppose ne le sont pas moins;

est, sc. flores Brayerae anthelminticae (kousso), quos per plures annos (dum in Europa hic illic administrabantur) annales diversi, observatione medicorum ita dignos censuerunt ut Doct. KÜCHENMEISTER hoc argumentum «eine Tagesfrage in der Medicin» dixerit.

Inter aegrotantes diversos, quos, duce viro clarissimo LONCO, in Nosocomio Academico curare mihi contigit, unus erat, qui, Taenia vexatus, floribus Brayerae usus est. Quum jam in eo essem, ut ex legis officio dissertationem quamdam conscribere deberem, animum ad flores Brayerae adverti, quippe qui mihi argumentum viderentur praebere aptissimum.

Quod cum semel mihi in proposito esset, omni opera hocce morbo aegrotantes investigavi atque Trajecti ad Rhenum quinque illorum repertus sum. Profecto ille numerus perexiguus est, si numerum respicis incolarum metropolis Trajectinae (qui 50,000 fere adaequat), at simul probat, ea, quae medici Germanici de frequentia Taeniae in nostra patria referunt, esse fabulosa ac falsa. Sic, inter alia, DS. KERLE in Hollandia dimidium (!) incolarum Taenia laborare perhi-

---

la nature semble avoir pris à tâche de multiplier les Anthelminthiques en Abyssinie, en même temps que, par une influence qui nous échappe, elle donnait le Ver solitaire a tous les habitants. Cette circonstance refute ces vers si mordants de VOLTAIRE sur les prévisions de la Providence."

„Dieu mûrit a Moka dans le sable arabique  
Le café nécessaire au pays des frimas;  
Il met la fièvre en nos climats,  
Et le remède en Amérique."



bet, 1) atque Ds. vocat refert, taeniam in Helvetia, Belgio, Hollandia, Polonia ac Russia admodum frequenter occurrere; in prioribus regionibus eo quidem gradu, ut multi adsint loci, ubi fere omnes incolae Taeniam exceperint hospitio 2). Quae si ita essent, patria nostra altera esset Abassinia. At vero si talis esset taeniarum frequentia, aegros, hoc morbo laborantes in quavis pagina commentariorum, qui exstant Polyclinici medici Rheno-Trajectini fere, reperire debuissem, quum nunc in illis rarissime occurrat.

Quae de metropoli Trajectina retuli, etiam de aliis nostrae patriae regionibus affirmare possum. Pater meus carissimus, Culenburgi (quod oppidum est 5000 et quod excurrit incolarum) per triginta et duos annos, in praxi medica sua satis extensa, duos modo Taenia aegrotantes observavit.

Hujus argumenti tractationem conspectu historico incipere in animo habebam. Perdifficile vero erat fontes varios, natura diversissimos, quibus mihi opus erat, colligere. Gratias hoc respectu quam maximas debeo multis viris doctissimis, praecipue autem vobis, viri clarissimi DONDERS et DE FREMERIJ! qui mihi benevoli auxilio fuistis. Semper, quando mihi licuit, fontes exploravi primitivos; ubi vero illos adhibere mihi non licebat, quantum potui, aliorum testimoniis usus sum.

Omnes commemoravi qui de argumento meo tractarunt,

---

1) Ueber den Bandwurm, nebst 2 Methoden durch dieselbe fast immer abgetrieben wird von Dr. KERLE (Hann. Corr. Bl. 12 1850).

2) Physiologische Briefe für Gebildete aller Stände 1847. S. 306.



quantum mihi innotuerunt, etiam si illos legere mihi non licuerat, ut illorum seriem, quam absolutissime fieri potest, proferre mihi contingeret. At vero multum abest, ut omnes recensuerim, sed, «tradidi quae potui.»

Quod attinet ad itinerum descriptiones varias, quibus usus sum, mihi adhuc admonere liceat, multos itineratores religionis causa, ex rationibus politicis, vël mercatoriis alios, perpaucos vero ex scientiae amore itinera suscepisse. 1) Saepius itaque illa, quae tradunt, sibimet ipsis repugnant, atque iudicia, (nonnulla speciminis causa hic illic retuli) quae nonnulli scriptores de aliis tulerunt, nequaquam eorum veracitatem probant. Non mirum igitur, quod multa, quae retulerunt, praecipue quae partem spectant medicam, non magni habemus pretii.

Ut diversissimis ex illis fontibus relationem formarem quantum possem continuam, omnes ordine chronologico retuli, atque ad finem capitis cujusvis, necesse si videretur, eos veluti in conspectu posui.

---

1) COMBES et TAMISIER iter susceperunt (secundum ISENBERG), „mit dem angeblichen Zwecke des Einen Menschenkenntniss zu sammeln, des Anderen sich für die Poësie zu begeistern. ISENBERG ipse ut religionem propagaret profectus est. HARRIS, ab Anglis legatus, scopum politicum prosecutus est, et ita porro.

## CAPUT I.

### HISTORIA MEDICAMINIS, CUI NOMEN BRAYERA AN- THELMINTICA, SIVE KOUSSO.

---

Jam antiquioris aevi scriptores de usu medicaminum indigenorum adversus Helminthiasin in Abassinia, hunc morbum ibi frequentissimum dixerunt.

Lusitanos, qui seculo sedecimo regi Abassinorum contra hostes auxilio fuerant, nonnulli sacerdotes e societate Jesu comitabantur, qui, religionem Christianam Abassinis tradere conantes, per longam annorum seriem ibi degerunt. Prima missio versus annum 1555 in Abassiniam venit; plures aliae dein secutae sunt. Nonnulli illorum descriptiones Abassinae in lucem ediderunt, inter quas illae, quae a GODIGNO 1), ALVAREZ 2), TELLEZ 3), LOBO 4) et FERNANDEZ confectae sunt, primum occupant locum.

---

1) NICOLAI GODIGNI S. J. De Abassinorum rebus deque Aethiopiae Patriarchis Joanne Nunno Barreto et Andraca Oviedo, libri tres, 8o. Lugduni 1615.

2) ALVAREZ. Beschrijving der landen van den grooten Keizer en Koning Priester Joannes. Edit. Lusit. 1543. Gallica 1588. Germanica Eisleben 1566.

3) TELLEZ Historia geral de Ethopia.

4) HIERONYMUS LOBO. Reise nach Habessinien und zu den Quellen des Nils, aus dem Französischen mit einer Einleitung, Anmerkun-

JOHANNES LUDOLFUS (LEUTHOLFF), doctissimus quidam Germanus, in opere suo praeclaro, cui titulus «Historia Aethiopica» conficiendo, itinerum descriptionibus supra commemoratis usus est, ut patet e sequentibus ex GODIGNI libro commemoratis: «Aliam arborem n. GODIGNUS laudat contra ventris lumbricos valde proficuum; hos enim ex esu carnis crudae gigni, at Habessinios, singulis mensibus, fructu hujus arboris alvum purgare atque sic vermes illos necare commemorat.»

Hunc locum verosimillime spectare florum Brayerae usum in Taeniam, me iudice, probant, tum quod ille et alii idem fere temporis spatium, quo Abassini hocce medicamento uti solent, commemorent, tum quod flores Brayerae medicamentum constituent in Abassinia usitatissimum, ita ut flores Brayerae anthelminticae tunc temporis (Seculo XVI.) jam cogniti fuisse videantur. Recte igitur VAN KAMPEN noster, brevem post Bankesiae Abyssinicae (denominatio quae olim pro Brayera usitata erat) descriptionem, hac de re sequentia monuit; «schoon BRUCE aan dezen boom den naam heeft gegeven, was toch P. A. FERNANDEZ reeds de vinder van denzelven in de zestiende eeuw» 2)

Etiam doctissimus PEREIRA, locum ex GODIGNO citatum,

---

gen, etc. und einer Beschreibung von Habessinien vermehrt und heraus-gegeben von F. F. EHRMANN. Zurich 1794.

1) JOH. LUDOLFI Historia Aethiopia. Francofurti ad Moenum A. S. C. 1681 L. I cap. 9. 31.

2) N. G. VAN KAMPEN. Afrika en deszelfs bewoners, volgens de nieuwste ontdekkingen. Haarlem 1829. 3. dl. bladz. 343.



procul dubio flores Brayerae spectare statuit. Eiusdem sententiae sunt COMBES et TAMISIER, dicentes, BRUCE de floribus Brayerae in Europa non primas dedisse notiones, sed hunc honorem GODIGNO esse tribuendum. 1)

Quod attinet ad denominationem Lumbrici a GODIGNO usitatam, insuper animadvertendum, ab ea quidem Taeniam denominari potuisse, quam jam apud PLINIUM sub nomine Lumbrici lati invenimus.

Doctissimus DAPPER in descriptione sua Africae hac in re GODIGNUM secutum esse videtur, quum hac de re in illa legamus; «Daer zyn grote menigte van verscheide bomen, maer de meesten draegen vruchten van een onaengenaeme smaeck. Onder deze is er een zeer dienstig voor de gezondheid. Want aengezien de Abyssiniers veeltijds raeu vleesch eten daer zij wurmen van krygen, zouden dezelve hen buitendien het gedarmte deurknaegen, indien ze zich niet alle maenden met deze vrucht purgeerden, welke aenstonts de wurmen doet sterven en het ligchaem ontlast.» 2)

Sacerdotibus e societate Jesu, varias ob causas, versus annum 1652 expulsis, relatio, quae diu inter Abassiniam et Europam adfuerat, in longum tempus cessavit. Praeter itinera, quorum unum (cujus descriptio mihi non ad manus fuit) suscepit medicus quidam gallicus, cui nomen PONCET (anno 1699) qui regem Abassinorum Lepra laborantem curavit,

---

1) COMBES ET TAMISIER. Voyage en Abyssinie dans le pays de Galla, de Choa et d'Ifat 1835—37. Paris 1838 Tom. II pag. 115.

2) Dr. O. DAPPER. Naeukeurige beschryving der Afrikaensche gewesten, enz. fo. Amsterdam 1668 pg. 710.

alterum vero DU ROULE, a rege Gallorum Ludovico XIV legatus, (qui tamen ad Abassiniam non pervenit, quum jam ante adventum occideretur) nemo Abassiniam visitavit, usque ad viatorem Scotum praeclarum BRUCE, qui anno 1790, Londini itineris sui descriptionem eximiam, iconibus praeclaris illustratam, in lucem edidit. 1) Hoc opus ut in varias, ita quoque in nostram linguam translatum est. 2) Versio Belgica attamen abbreviata est atque praeter alia, etiam iconibus Banksiae abyssinicae (Brayerae anthelminticae caret.

BRUCE in itinere suo, quod annis 1768—75 ad fontes fluminis Nili detegendos suscepit, Abassiniam adiit, atque licet primus plantam nostram non commemoraverit, attamen ad naturae fidem ejus edidit icones quae in parte quinta editionis britannicae occurrunt.

Eadem in editione (part. V. pag. 75 et seq: in editionis Belgicae parte tertia, pag 208 et seq.) descriptionem botanicam et inter alia sequentia communicat. Abassini, ut ait, tam mares quam foeminae, morbo laborant peculiari; quovis mense sc. insignem vermium copiam expellunt, qui vermes non iidem sunt quibus pueri vexantur, vero Ascaridum speciem referunt, ad quos expellendos, floribus Brayerae utuntur. Flores ut isti in Europam importarentur quam maxime desiderat, quum medicorum peritia

---

1) Travels to discover the source of the Nile in Egypt, Arabia, Abyssinia and Nubia.

2) JAMES BRUCE'S reis naar Abyssinie en terug door de groote woestijn van Nubie, verkort enz. Amsteldam 1801.

illis ad magnam hominum utilitatem uti posset.

Quae BRUCE hac de re retulit, sive causa exinde repetenda sit quod vermium species non recte delineaverit (Ascarides sc. illos statuit, contra quos medicamentorum series medicis Europaeis cognita erat), sive ex aliqua alia causa, absque dubio tunc pauci momenti habita sunt.

Multi post BRUCE, inter quos VALENTIA, SALT. alii, Abassiniam frequentaverunt, sed in omnibus hisce itinerum descriptionibus, quas mihi legere contigit, de Banksia altum silentium.

Primus qui medicorum animum rursus ad Brayeram vertit, doctissimus BRAYER fuit, medicus quidam gallicus qui diu Constantinopoli degit. Descriptionem quae hujus itineris exstat gallicam consequi mihi non contigit 1); in versione Belgica 2), omnia quae argumentum meum spectant desunt, ita ut illa quae doct. MEYER AHRENS in monographia praeclara et alii hac de re monent, hic modo communicare possim. COMBES ET TAMISIER sequentia ex Brayerii descriptione verbaliter desumsisse testantur:

«Je rencontrais souvent dans un café de Constantinople un vieux négociant Armenien qui, dans sa jeunesse, avait fait de fréquents voyages en Abyssinie. Ce vieillard vénérable aimait à me parler des pays qu'il avait parcourus..... mais surtout des plantes que l'on trouve dans ces régions éloignées et de leurs propriétés miraculeuses. Le premier

1) A. BRAYER. Neuf années a Constantinople. Paris 1836.

2) Mijn negenjarig verblijf in Constantinopel. Zalt-Bommel 1836.



garçon du café où nous-nous entretenions ainsi était, depuis plusieurs années, attaqué du taenia; il avait, suivant l'usage, demandé à tous les médecins nationaux et étrangers qu'il avait rencontrés, non un traitement, mais un secret contre sa maladie. En faisant tant bien que mal les remèdes indiqués, il avait souvent, en rendant des fragments du taenia, éprouvé quelque soulagement; mais peu après les symptômes avaient reparu aussi violents qu'auparavant; sa maigreur était excessive, il éprouvait de fréquentes lipothymies; des douleurs cruelles l'obligeaient souvent à cesser son travail.» «Voyez-vous cet être malheureux,» me dit un jour mon Arménien; «il a fait tous les remèdes connus en Europe; en Abyssinie, sa maladie n'aurait pas duré vingt-quatre heures, et il souffre depuis dix ans; mais j'ai écrit, l'année dernière, à mon fils, qui fait à ma place les voyages d'Abyssinie, de m'envoyer le spécifique connu dans le pays contre le taenia...; il me parviendra bientôt, j'en ferai prendre à cet infortuné, et il sera guéri.»

«....Je n'y songeais plus, lorsque, le 7. Janvier 1820; je vis venir à moi, le garçon du café, qui me dit être parfaitement guéri; les fleurs étaient enfin arrivées.» 1)

Doct. BRAYER quam maxime desiderabat flores remedii tam activi conspicere et non sine difficultate, drachmae partem illorum dimidiam acquisivit, quae tamen ita in pulverem erat reducta, ut ex illa quam difficillime tam plantae

1) COMBES ET TAMISIER. Tom I pag. 273 et seq.

familia quam species distingui possent. Attamen illorum conservationis magnam habuit curam, illos secum Lutetias Parisiorum portavit, ubi Botanicus celeberrimus KUNTH illos indagavit.

Anno 1824 doctissimus BRAYER Constantinopolim rediit. Armenus adhuc vivebat, qui illi tradidit, bello, milites in Abassinia cum victu semper sacculum floribus istis impletum secum portare, ex quo, semper illorum quantitatem exiguam cibus immiscerent, quum, hacce ommissa praecautio-  
ne, e decem hominibus, octo Taenia laborarent; eos autem qui bellum non adirent, semel quovis mense floribus Brayerae uti; Britannos duos qui in Abassinia degebant, exemplum istud secutos esse; se autem, semper quum more turcico vitam degisset, numquam hocce medicamento uti debuisse.

Doct. BRAYER semper in animo habebat ut aliquam quantitatem florum Brayerae sibi acquireret. Eum in finem Consulem gallicum, Equitem DROVETTI, Cairo qui tunc temporis degebat, rogavit, ut sibi quantitatem florum Brayerae a mercatoribus ex Abassinia redeuntibus emeret, sed frustra. Item Complures, qui Constantinopoli itinera in Aegyptum susceperunt, idem rogavit. Omnes tamen hujus immemores fuerunt et quidem ille cui pretium emtionis iam dederat.

Anno 1827 Ds. BRAYER ipse Aegyptum petere voluit et quando ibi flores Brayerae invenire non posset, ad Abassiniam proficisci in animo habebat, ut ibi semina Brayerae acquireret, quibus plantam in Galliae partem meridionalem transferret. Piratae, qui tunc temporis mare, cui nomen



Archipel infestabant, in causa fuerunt ut iter propositum omitteret atque Massiliam navem conscenderit.

Versus annum 1825, igitur ante iter secundum, Ds. BRAYER libellum de Brayera, nunc non amplius habendum, in lucem edidit 1) quem, monente doctissimo MEYER AHRENS, BRAYER dein in descriptionem annorum novennorum, quos degit Constantinopoli, recepit. Praeter ea, quae jam commemoravimus, descriptionem botanicam clarissimi KUNTH atque iconem plantae praeclaram continebat. 2)

Haec omnia etiam tunc viri docti haud magni habuerunt momenti. Prorsus enim, nisi excipias nonnullos annales 5) qui obiter illorum mentionem fecerunt, neglecta sunt. Expeditionis saltem, quae jussu gallorum rege, brevi post doctissimum BRAYER reducem, ad scientias colendas in Aegyptum mittebatur, nullam Brayerae anthelminticae curam habuit, quamvis, rogante BRAYERO, hujus expeditionis Botanici a magistratu libellis doctissimi BRAYER, de quibus jam antea dixi, muniti essent. 4)

---

1) Notice sur une nouvelle plante de la famille des Rosacées Paris 1823. 8 pages.

2) Doctissimus Aubert dicit hanc iconem, quae in Encyclopediam Botanicam recepta est, non ad naturae fidem esse confectam, quod quum, teste PEREIRA, KUNTH flores foemineos tantum nosceret, admodum probabile videtur.

3) Journal de Pharmacie Tom. IX pg. 160 Paris 1823 et Bulletins des sciences medicales Paris 1824. pg. 206.

4) Dr. C. MEYER AHRENS. Die Blüthen des Kossobaumes, die Rinde der Musenna und einige andere Abessinische Mittel gegen den Bandwurm, zugleich als kleiner Beitrag zur medicinischen Geographie Afrika's. Zürich 1851. S. 28 und f.

RIECKE deinde primus, anno 1837, de *Brayera* egit. Plura hujus remedii specimina (ad quod *BRAYERUS* primus animum medicorum Europaeorum adversisse false testatur) tam a religioso quodam missa (versus annum 1854) quam a *SCHIMPERO*, qui tunc temporis in Abassinia degebat, in Germaniam pervenisse refert, quibuscum speciminibus et ille et alii plura fecerunt experimenta.

Vir, de quo modo sermo fuit, ad religionem christianam propagandam diu in Abassinia versatus fuerat, atque redux, doct. *PLIENINGER*, Stutgardiae qui erat, rogavit ut illum a *Taenia* liberaret, illique narravit, *Habessin*os, apud quos *Taenia* admodum frequenter occurrit, praeter corticem *Granatorum*, adversus *Taeniam*, floribus verticillatis arboris cujusdam, pyro malo nostro simillimae, frequenter uti; arborem istam lingua *Amharica* *koso*, lingua vero quae dicitur *Tigre*, *HEPAH* denominari.

Haec omnia doctissimo *PLIENINGER* suspicionem *Brayerae anthelminticae*, de qua in libro *RICHARDII* cui titulus »*medizinische Botanik*» jam antea legerat, moverunt, ita ut doctissimo *KURR* partem florum, quos vir ille secum portaverat, indagandam dederit, quam doctissimus *KURR* statim flores *Brayerae anthelminticae* agnovit. 1)

In Aegypto tunc temporis remedium istud etiam in usu erat. *COMBES ET TAMISIER*, qui antequam iter suum (annis 1855—57) in Abassiniam susceperunt, Cairo etiam degebant, eum publico communicant, multos medicos Europaeos ibi uti

---

1) *RIECKE*, die neueren Arzneimittel. Stuttgart 1837 S. 73. 76.

hocce medicamento, quod vermem magna quidem pro parte, totum vero non expelleret. 1)

Etiam et illi sententiam clarissimi BRUCE quoad vermium speciem reprobant atque opinionem Armenii, qui illam Taeniam esse statuit, ut jam vidimus, confirmant. Monentibus illis, Taenia morbus est in Abassinia qui frequentissime occurrit, quem Habessini aequo patiuntur animo, imo vere partem constitutionis integrae constituere existimant. 2) In provincia Tigre foeminam viderunt, quae, privilegio in Abassinia inaudito, Taenia semper fuit libera. Attamen vehementer dolebat sese Taenia carere, naturam sibi justam partem negasse dicebat atque de infortunio suo quaerebatur. 3) Praeter Taeniam, Gordium vel Filiariam medinensem, licet rarissime, in Abassinia occurrere referunt.

VON KATTE, quoad Taeniarum in Abassinia frequentiam ejusdem est sententiae. Hac de re refert »Es ist die wahre National Krankheit in Abyssinien, denn unter Tausend Individuen findet sich vielleicht kaum Eins, dass ihn nicht hatte.“ 4)

---

1) COMBES ET TAMISIER. Tom. I pg. 275.

2) Ibidem pg. 272.

3) »Addunt scriptores« Il faut avoir été témoin d'un semblable fait pour y ajouter foi» ISENBERG (Bd. I pg. 189) de illorum itinere scripsit: »eine romanhafte Erzählung, dessen, was sie erlebt und nicht erlebt haben et, Bd. II S. 141« ein voluminöses Werk, welches von Thorheiten, Erdichtungen, namentlich langen Reden, die sie den Abyssiniern in den Mund legten — da sie doch fast nichts Amharisches (lingua quae ibi usitatissima est) verstanden und Nuditäten wimmelt.

4) A. VON KATTE. Reise in Abyssinien im Jahre 1836. Stuttgart und Tübingen 1838.



Etiam et RÜPPEL, Brayeram observatione pharmacopolarum in Europa dignam censuit. Secundum illum, Habessini constanter hocce medicamento, in Taenias et Strongylos efficacissimo, utuntur. 1)

Initio anni 1844, M. L. AUBERT, qui etiam in Abassinia, praecipue in parte boreali, versatus fuerat, cum Academia regia medica, quae est Lutetiae Parisiorum, de Anthelminticis abassinicis observata sua communicavit. Tria, ut ait, anthelmintica, sc. Cousso (*Brayera anthelmintica*), Bisenna (cortex *Musenae*) et Abbotsjogo (*Oxalis anthelmintica*), Materiem medicam Abassinorum constituunt. In descriptione, quam horum medicamentorum refert, monet, omnia adversus Taeniam, felici cum eventu, administrari; dein BRUCE errasse quoad speciem vermium in quam flores *Brayerae* administrarentur, tandem, mares et foeminas, pueros, imo omnes in Abassinia Taenia vexari, quae illos numquam relinquit, quam per totam vitam absque molestiis majoribus servant atque non magni habent momenti, quum medicamenta adversus illam efficacissima illis nota sint. Non floribus modo, sed etiam filamentis, quae ad trunci atque ramorum nonnullorum annulos occurrunt, Abassinos uti adhuc refert, quum ex illis funes texant ad usum domesticum. Quam maxime sese desiderare testatur ut regnum gallicum, illos, qui in Abassinia naturam perscrutabantur, juberet reduces, haecce Anthelmintica, quae

1) Dr. Ed. RÜPPEL. Reise in Abyssinien. Frankfurt am Main 1840  
2. Bd. S. 54.

commercii ope haberi non possunt, illorumque semina atque stirpes vivaces secum afferre. 1)

ROCHET D'HÉRICOURT, primus fuit, qui Brayerae anthelminticae quantitatem insignem in Europam importavit atque ita materiem medicam Europaeorum quam maxime locupletavit. Dolendum at vero est, illum hocce medicamentum, quod in Abassinia vilissimi est pretii, tam diu pretio adeo magno vendidisse ut eo usum generalem impediret. 2) Partem Abassiniae meridionalem, scil. regnum quod dicitur Choa, adhuc fere incognitum, bis frequentavit, prima vice anno 1839, altera vero anno 1842, atque redux ambo descripsit itinera. In descriptione itineris prioris refert, omnes Abassinos, nullis exceptis, Taenia laborare; naturam vero remedium morbo apposuisse et pueros jam ab aetatis anno quarto, usum florum Brayerae alterum ob mensem incipere. 5)

Quum iter secundum susciperet ROCHET D'HÉRICOURT, Aca-

1) Memoires de l'Academie royale de Medecine. Tom IX pag. 689.

2) Haec ejus venalis agendi ratio quodammodo dura verba ISENBERGII probare videtur, quando de illo refert; Bd. I S. 98 „dieser ROCHET ist ein französischer Glücksritter u. s. w. et pg. 165 ibid.“ Indem er durch den Besuch eines Theiles von Schoa, der noch unbekannt war, in seinem Vaterlande den Ruf eines wissenschaftlich Reisenden aufrecht hielt, als Ersatz für den eines ehrlichen und vertrauenswürdigen Regierungsbotschafters, und vor allen Dingen, Materialien zum Geldmachen erhielt.“

3) C. E. X. ROCHET D'HÉRICOURT. Voyage sur la côte orientale de la Mer Rouge, dans le pays des Adels et le royaume de Choa Paris 1841. pag. 308. Confer. Revue des deux mondes, Bruxelles 1841 Tom. II pag. 561.

demia Scientiarum quae Lutetiis est Parisiorum omnem operam adhibuit ut scientiarum curam posset habere majorem, quum illum instrumentis nonnullis physicis muniret atque, ut illis rite uti posset studuerit. In descriptione, quam hujus itineris secundi edidit, praeter Brayerae anthelminticae iconem atque illa quae clarissimus DE JUSSIEU de ea retulit, pauca argumentum nostrum spectantia inveniuntur, quae in descriptione itineris prioris jam antea non communicaverit 1).

Doct. BEKE, viator ut ait PEREIRA clarissimus, refert, flores Brayerae in locis Abassiniae depressis, (arbor Brayera, momente illo ad altitudinem 6—7000 pedum supra maris superficiem occurrit), quaestum mercatorium habere insignem. 2) Sic et JOHNSTON nobis communicat flores Brayerae in regni Choeae foris abundare, ubi pro gossypio haberi solent. Gossypii manipulus aut cornu potorium frumento impletum, praetium duarum dosium (i. e. duorum manipulorum) florum Brayerae exaequant. 3)

HARRIS, qui ab Anglis legatus ad regnum Schoa (Choa) profectus est, in relatione, quam hujus itineris edidit, hic et illic de nostro tractat argumento. Inter alia bene multa

1) Second voyage sur les deux rives de la Mer Rouge, dans le pays des Adels et le royaume de Choa, par M. ROCHET D'HÉRICOURT. Paris 1846.

2) Ueber Bandwurm von Dr. HODGKIN (Med. Times No. 266. 1844). Schmidt's Jahrb. 1845. Bd. 46. s. 179.

3) MEYER AHRENS s. 51. ex JOHNSTON Travels in Southern Abyssinia through the country of Adal to the Kingdom of Shoa. London 1844. Vol. II. pag 271.



nobiscum communicat, famulos in Abassinia a suo conductore diem cujusvis mensis stipulari, quo flores Brayerae potare possint; arborem porro, quae hocce praebet medicamentum, in regionibus, quas gens pagana, cui nomen Galla, in Abassinia incolit, cultu religioso dignam haberi, quum rami venerabiles hujus arboris ibi rarissimae, testes rituum sint religiosorum. 1)

ISENBERG arborem nostram utilissimam judicat, quum flores illius constituent remedium ad Taeniam in Abassinia usitatissimum, atque ligno, propter pulchretudinem, duritiem atque levitatem ad mobilia, praecipue ad tormentorum manubria (geweerkolven) conficienda, Abassini utantur. 2)

Ad itinera, quae fere unice ex scientiarum amore suscepta sunt et quorum numerus haud magnus est, merito annumerari debet iter quod susceperunt LEFEBVRE atque doctissimi PETIT et DILLON, medicinae Doctores, a Museo Historiae Naturalis, quod est Parisiis, legati.

Exitus, quem habuit iter istud (quod annis 1858—45 susceperunt) fatalis, quam maxime deplorandus est 3). Viro

1) HARRIS Gesandtschaftsreise nach Schoa und Aufenthalt in Süd Abyssinien 1841—43. Deutsch von K. v. K. Stuttgart und Tübingen 1846. Bd. I. s. 292. ibid. s. 313.

2) C. W. ISENBERG. Abyssinien und die Evangelische Mission. Tagesbuch meiner dritten Missionsreise von Mai 1842 bis Dezember 1843. Bonn 1844. Bd. I. s. 7.

3) Doct. DILLON, ut et famulorum ejus multi, post explorationem regionis cujusdam paludosae, febris abrepti sunt; Doct. PETIT, quem diu idem morbus lecto devinctum tenuit, quum reconvaluisset, trans Nilum natans, a crocodilo cheu! necatus est; VIGNAUD quoque febris abripuit.

LEFÈBVRE soli patriam accedere contigit. Redux itineris hujus relationem, tam ex suis observationibus quam ex annalibus itineris sociorum infelicissimorum, adjuvantibus aliis, edidit. Quae de Taenia atque de usu florum Brayerae aliorumque medicaminum refert, ex observationibus doctissimi PETIT, quae praecipue provinciam Abassinae borealem, cui nomen Tigre, spectant, petita sunt.

Arbor, vernaculo sermone quam vocant Cosso, monente LEFÈBVRE, una utilissimarum Abassinae est arborum, tam ob anthelminticum quod praebet efficacissimum, quam ob lignum, quoad pulchretudinem et duritiem ligno Anacardii occidentalis (Acajou) simillimum et ad suppellectiles faciendas aptissimum. 1)

Secundum doctissimum PETIT 2), taeniae frequentia in Habessinia permagna est et Filiaria medinensis ibi haud raro occurrit. Taeniarum frequentiam vero talem esse monet, ut ii, qui ab ea sint immunes, a norma recedere videantur, atque exoticos vix per aliquot menses ibi degere posse, nisi, cum climatis assuetudine, simul Taeniam acquisiverint inevitabilem, cujus multa refert exempla. Morbi frequentiae attamen aequiparat medicamentorum multitudo, quae adversus Taeniam adhibetur. Remedium juxta morbum ibi adest.

Ad medicamenta ista, quorum mentionem fecit doctissi-

1) LEFÈBVRE etc. Relation Historique. Vol. I p. 119.

2) LEFÈBVRE etc. Relation Historique Vol. I. p. 380. Ibid. Vol. II. p. 362 seq.



MUS PETIT, pertinent: kosso (Brayera anthelmintica) deia BESENNA (Cortex Musennae), METCHAMETCHO sive ABBATSJOGO (Oxalis anthelmintica), ROUMANE (Punica Granatum), KELLAO (Moesa Picta), Cortex radiceis SEMMASA, alia. Alterno mense, Habessini, dosem unius alteriusve horum medicamentorum quamdam assumunt, qua vermis pro parte, numquam vero totus, expellitur.

FERRET et GALLINIER etiam affirmant omnes Abassinos, mares et foeminas, nullos exceptos, ab aetatis anno 6<sup>o</sup> aut 7<sup>o</sup>, Taenia vexari atque omnes putare, hunc vermem partem constitutionis integrae efficere efficacem. 1)

Doct. PRUNER, qui complures per annos in Aegypto degit, Taeniam latam, variis in Africae regionibus, in Abassinia atque in terris Aethiopicis endemicam esse statuit. 2)

Doct. MEYER AHRENS exinde concludit, PRUNER hic Botriocephalum latum spectavisse, quod vero me iudice dubii haud expers imo verosimilitudine carere videtur. Etenim

1<sup>o</sup>. Taeniam latam, et Taeniam solium et Botriocephalum latum denominarunt, ita ut confusio exinde oriri possit. 3)

2<sup>o</sup>. PRUNER ipse, alio loco (pag. 247), Abassiniam specificis in Taeniam solium abundare commemorat, ita ut Taeniae

1) MEYER AHRENS. s. 4 ex „Voyage en Abyssinie, dans les provinces du Tigré, de Samen et de l'Amhara par M. M. FERRET et GALLINIER, capitaines au corps royal d'état major. Paris 1847. Tom. II. pag. 109.“ Liber iste mihi non ad manus fuit.

2) Die Krankheiten des Orients vom Standpunkte der vergleichenden Nosologie betrachtet von Dr. F. PRUNER. Erlangen 1847. s. 245.

3) Dr. SEEGER. Die Bandwürmer des Menschen. Stuttgart 1852. s. 11.

latae sub nomine si Botriocephalum latum spectavisset incongruus fuisset.

5o. Doct. **ROBERTS** probavit Taeniam solium in Abassinia occurrere, quum Abassinum, qui una cum doctissimo **BEKE** in Angliam advenit, ope olei Thereb., Taenia Solio, 16 pedes longa, liberaverit. Speciem illam etiam in promontorio Bonae Spei endemicam esse monet, ad quod ex terris aquilonariis, ut Abassinia, per populi commigrationes pervenisset. 1)

4o. Doct. **AUBERT**, qui, dum in Abassinia degeret, Taeniam acquisivit, in Galliam redux, sese floribus Brayerae illa liberavit. Tota in commentatione sua de Taenia semper locutus est, sed loco quodam Botriocephalum latum speciatim commemorat, ita ut verisimiliter et ille Taeniam solium expulerit. 2)

Doct. **SEEGER**, taeniarum speciem in Abassinia endemicam, adhuc non constare monet. 3) At vero Doct. **LERSCH** refert, ex notionibus recentioribus, relationibus anterioribus contrariis patere, Taeniam Solium ibi omnino endemicae occurrere. 4)

Pertinaciam tandem, qua vermis iste in Abassinia omnia medicamenta, adversus eum adhibita, irrita facit atque incolas per totam illorum vitam vexat, Taeniae Solii (quae, ut cuivis notum est, difficilius expelli potest quam Botriocephalus latus) justam movere suspicionem non ego sum qui dubitem.

1) **SCHMIDT**'s, Jahrbücher 1845. Bd. 46. pag. 179. Medic. Times 1844. N<sup>o</sup>. 266.

2) Memoires de l'Academie royale de Medicine. T. IX. pag. 699.

3) **SEEGER**. Die Bandwürmer des Menschen. s. 59.

4) Rheinisches Monatschrift für practische Aertze 1851. Juni s. 292.

Doct. PRUNER insuper refert, Taeniam in Abassinia nemini parcere, nequidem viatoribus Europaeis, quando vitae rationem indigenam sequuntur. — Per decem annos vir ille doct., omissis medicamentis omnibus Europaeis, Anthelminticis abassinicis adversus Taeniam usus est. Inter efficacissima Gosso (Cousso, Flores Brayerae) retulit. Flores exsiccati praecipue per mancipiorum negotiatores Africam orientalem transeunt atque ad Arabiam et Aegyptum imo Constantino-  
polim perveniunt.

Hucusque ea exposui, quae ex itinerum descriptionibus variorum mihi colligere contigit. Annales diversi, quum actionem florum Brayerae in Europa efficacem communicarent, multa illorum jam retulerunt. Nonnulli annales insuper monuerunt de iis, quae Doct. KIRTS, medicus qui legationem viri strenuissimi HARRIS (de qua vide pag. 47) comitatus est, nostro de argumento communicavit. 1)

Monente illo, flores Brayerae in Abassinia remedium constituunt domesticum, cujus actio anthelmintica semper fuit egregia. Legatio, quum rediret ad Indiam, magnam quantitatem tum seminum tum florum exsiccorum secum portavit. Taenia solium, referente viro doct., in Abassinia, homines cujusvis conditionis aggreditur, ita ut perpauci incolae

---

1) Conferantur Nieuw practisch tijdschrift voor de geneeskunde in al haren omvang door Dr. A. COHEN. 1851. pg. 668. — FRORIEPS neue Notizen aus dem Gebiete der Natur und Heilkunde N<sup>o</sup>. 737. Bd. 34. s. 174. 1845. — Transactions of the Med. and phys. Society of Bombay. The Dublin Journal of Medical science N<sup>o</sup>. LXXIX. March 1845.



ea sint immunes. Regio ista feliciter attamen remedio in Taeniam efficacissimo, scil. floribus Brayerae, abundat. Incolae, sanitatem si servare cupiunt, haec arbore carere non possunt. In plantatione atque nutritione hujus arboris magnam etiam ponunt curam atque in vicinitate cujusvis pagi sylvula harum arborum occurrit.

Quanti momenti arbor ista ab Abassinis habeatur, ex nomine cujusvis pagi, in vicinitate urbis Angolallae, arboribus istis carentis, satis patet, cui nomen est DEWASA KOSSO, i. e. «Deus tibi praebeat arbores kosso.» Pueri in Abassinia, ab anno sexto ad obitum usque floribus Brayerae utuntur, atque Habessini existimant, Taeniae semel acquisitae expulsionem fieri non posse, quum quisque vermis articulus vermis totius stirpem praebeat.

Inter varias commentationes egregias, quae in Annalibus occurrunt, ea, quam scripsit vir eruditione insignis PEREIRA cuique plantae iconem addidit praeclaram, in primis commemorari debet. 1)

Anno 1850 orn. quidam MULLER, qui cum floribus Brayerae tunc temporis mercaturam faciebat, Basileae libellum 2) cum publico communicavit, quem inspicere non potui. Doct. SEEGER 3) de eo monet tanquam de monographia «welche ein zu sehr mercantilisches Gepräge an sich trägt, als dass

1) Pharmaceutical Journal and Transactions 1850. Vol. X. N<sup>o</sup>. 1. pag. 15.

2) Abhandlung ueber den Bandwurm und dessen specifischem Mittel Kouso. Basel 1850.

3) Die Bandwürmer des Menschen s. 108.



sie ein wissenschaftliches Interesse zu erregen-im Stande war.»  
De opusculo Doct. FRANKL eandem sententiam tutissime  
ferre possumus. 1)

Anno 1854 Doct. MEYER AHRENS monographiam praecla-  
ram, saepius citatam, edidit, quae a Doct. JUL. CLARO sum-  
mo cum jure habetur «ein interessant, theils für die Phar-  
mologie des Kossobaumes, theils für die medicinische Geo-  
graphie Afrikas wichtig Schrift.» 2) In quo libello inter  
alia bene multa nobis refert, virum Doct. V. GIETL, Medi-  
cinae Professor qui est Monachi, jam anno 1846 a Doct.  
PRUNER quantitatem florum Brayerae accepisse insignem, eadem  
in conditione quae versabatur, quâ ad Doct. PRUNER ex  
Abassinia pervenit. Ab hoc tempore et ille et alii medici,  
felici cum eventu, flores istos ibi adversus Taeniam admi-  
nistraverunt. 3)

Quum pulverem Brayerae a pharmacopola, cui nomen  
PHILIPPE, (Parisiis qui est atque totam quantitatem florum  
Brayerae possidet, quam ROCHET D'HERICOURT importavit)  
acciperem, simul libellus a PHILIPPE editus ad me pervenit,  
ex quo adhuc nonnulla commemoranda habeo.

Servi abassini, ut ait PHILIPPE, semper parvam florum  
Brayerae copiam, qua ipsi, urgente necessitate, utuntur,

---

1) Der Bandwurm und die radicale Heilkur durch den Kouso  
durch die Pariser Academie de Medecine untersucht und sehr an-  
empfohle Heilmethode. Bearbeitet von Dr. ALB. FRANKL in Paris.  
Zu haben bei M. SCHLÄFFER in Herisau.

2) Schmidt's Jahrbücher 1851. Bd. 72. s. 160.

3) MEIJER AHRENS s. 88.

secum portant. Fuerunt mercatores, qui ab illis flores Brayerae emere conati sunt, sed numerum librarum exiguum modo colligere potuerunt, ita ut commercium eo modo fieri non possit. Porro PHILIPPE testatur, sese quantitatem insignem florum Brayerae quam habet, solummodo debere viro ROCHET D'HÉRICOURT, qui regi Choae amicissimus erat. In hoc regno, ut quibusvis in regionibus orientalibus fieri solet, rex omnium agrorum possessor habetur atque arbor, quam vocant Cosso, insuper ad usum regis privatum restricta est, ita ut sola ex clementia regis, incolis actione horum florum saluari frui liceat. 1)

Ex omnibus huc usque relatis unicuique satis patebit; Taeniam et verisimiliter Taeniam Solium in Abassinia endemic grassari, atque ibi adeo frequenter occurrere ut pauci ea sint immunes; incolas adversus hunc morbum flores Brayerae anthelminticae ex antiquissimis temporibus adhibere, arboris, merito quae ab incolis magni momenti habetur, quum non solum medicamentum praebeat egregium quod res mercatoria habetur insignis, sed etiam ad usum domesticum adhibeatur, quum ad funes, suppellectilesque conficiendas ea utantur.

Omnibus fere in Europae regionibus nunc flores Brayerae adhibuerunt medici. Ab anno 1850 in Gallia (ex decreto

---

1) Recueil des documents officiels et historiques relatifs à la fleur de Kouso, à l'emploi de sa poudre comme anthelmintique, spécialement pour l'expulsion du Ver Solitaire, par R. PHILIPPE, pharmacien, possesseur garanti de toute la dernière partie de Kouso, rapportée d'Abyssinie par M. ROCHET D'HÉRICOURT, Paris 1851. pag. 22.

imperii, Academicis quae Medicinae atque Scientiarum sunt Parisiis faventibus, possessori concessio) non amplius remedium arcanum habentur 1). Plures viae nunc apertae sunt, per quas remedium istud, viliori pretio, habere possumus, ita ut ii, qui Taenia, morbo haud difficile sanando, laborant, sanari si velint, Nosocomia ob pretium maximum non amplius adire debeant (MARTIN SOLON), et medici nunc remedium istud adhibere possint absque metu pernicii egrotantium introducendae. (COTTON.)

Monente Doct. GRÄVELL, stirps Brayerae anthelminticae vivax Berolinum advenit, ubi adhuc aliae exspectantur, ita ut nullum supersit dubium quin brevi, plantae, de qua agimus et botanicas et chemicas notiones accipiamus quam locupletissimas. 2)

---

1) Schmidts Jahrbücher 1851. Bd. 70. s. 292. Gazette des Hôpitaux 1851. N<sup>o</sup>. 41.

2) Deutsche Klinik 1851. s. 12.



## CAPUT II.

### BRAYERAE ANTHELMINTICAE BOTANICA DESCRIPTIO

Brayera, in patria sua, ex linguis diversissimis ibi usitatis, diversissimis nuncupatur denominationibus, quarum numerus, relatione perversa multorum viatorum, auctus est.

Bruce illam cusso denominat; BRAJER plantam arabice COTZ, abassinice vero CABOTZ nuncupari testatur 1). COMBES et TAMISIER ambas hasce denominationes perversas esse, et plantam vernaculo sermone couso denominari statuunt. ROCHET D'HERICOURT et AUBERT illam couso nominant. RÜPPEL illam cusso vocat. PETIT, HARRIS, JOHNSTON, FERRET et GALLINIER nomine kosso utuntur. PRUNER medicamentum gosso aut cosso dicit, atque in relatione, quam nobis dedit Doct. MARTIN, de Brayerae materie elementari, nomen kwoso invenimus. Vernaculo sermone, ut plurimum denominatio eadem est, tam pro verme, quam pro medicamento in eum adhibito.

Secundum Doct. BEKE 2) et Clar. MARTIUM, 3) pro linguis aut

---

1) Utrumque hoc vocabulum simul vermem indicaret. Doct. BRAYER autem animadvertit, probabile esse, utrumque neque Arabicum esse, neque Abassinicum vero Armeniacum, in qua lingua Cabotz vel Gabotz fasciculum funiculorum indicat.

2) Pharm. Journal and Transactions. Vol. X. No. 1.

3) Chemisch pharm. Centralblatt. 1851. pag. 618. seq.



dialectis sequentibus, hae distinguuntur denominationes: In lingua AMHARICA, KOSSO; in lingua TIGRE, HHÀBBE (PLIENINGER utitur denominatione HEPAH, WITTSTEIN VERO HABI); in lingua GAFAT, KOSSISH; in lingua GONGA KOSBO, secundum nonnullos COBBO; in lingua AGAU, quae etiam dicitur lingua WAAG, SIKÀ. In omnibus linguis enumeratis, denominatio eadem est pro verme quae pro medicamento.

In lingua vero, quae dicitur AGAU MIDER, medicamentum SHINEI, vermis TURO nuncupatur. In lingua dicta FALASHA, medicamentum SAKIKANA, vermes SAKA. In lingua GALLA, medicamentum BÊTI, vermem MINUI dicunt. In regionibus austricis aliis praeterea utuntur denominationibus. Nomen autem AMHARICUM KOSSO, tam in Abassinia quam in Europa usitatissimum est.

Non vero tantum in patria Brayera permultis gaudet denominationibus, sed etiam in Europa illarum numerus magnus fuit. BRUCE primus fuit, qui plantam nomine Europaeo designavit, quum illam in honorem JOSEPHI BANKS, Praesidis tunc temporis Societatis regiae, quae fuit Londini, BANKSIAM ABASSINICAM nominaverit.

In descriptione generali, quam hujus plantae dedit, testatur, sese plantam nusquam in Africa invenisse nisi in Abassinia; porro esse arborem, raro quae altitudinem 20 pedum superat, cujus increscentia fere numquam erecta, vero ut plurimum incurvata aut pendula est; quae pulcherrimo adpectu est atque utilissima habetur et, in usum incolarum, prope sacra publica urbium aut pagorum, una cum Cedris, occurrit.

Folia  $2\frac{1}{4}$  pollices sunt longa, nervo valido bipartita; pars superior longior atque latior est quam inferior; coloris sunt profunde viridis, adpectu pulcherrima, non nitida, ad partem anteriorem molliter pilosa; foliis Urticae urentis sunt simillima at vero sunt profundius serrata, tenuiora atque longiora.

Folia porro paria in ramis occurrunt; intra bina quaeque gemmas conspiceri licet, e quibus nova folia oriuntur. Ramuli in unum folium terminantur, ad basin sunt lati; atque in loco, fere  $1\frac{1}{2}$  pollices basi remoto, in latere quod foliis caret, aperturam habent, e qua flos oritur; pediculus  $1\frac{1}{4}$  pollices longus, teres atque glaber est; dein stili oriuntur geniculati, qui flores solitarios in apice habent. E quavis geniculatione oritur stilus talis novus; panicula tota botryoni, atque pediculus communis scapo uvae similis est; in panicula hic et illic foliola sunt immixta.

Flos ipse coloris est viridescens cum purpure mixti. Tempore, quo omnes flores evoluti sunt, profunde rubri aut purpurescentis fit coloris. Corolla alba est. Constat e quinque petalis. In medio adest pistillum parvum, ad apicem rotundum, octo staminibus aequalibus, polline flavo tectis, circumdatum. Calyx etiam quinque habet sepala, in parte superiore rotunda, ubi fere aequae lata.

Semina minora sunt quam semina Santonici. Russo semina facile amittit sicut Artemisiae species, quae semina Santonici praebere videtur. Tum et hanc ob causam, tum etiam quod semina sunt minutissima, illorum quantitatem satis magnam colligere perdifficile est, ita ut, loco semi-

num, floribus uti soleant medici. Saporem horum seminum amarum esse, vero gradu minore quam seminum Santonici, BRUCE refert.

Cortex hujus arboris glaber, ex flavo albidus, atque striis brunneis praeditus est, quae per totam arboris longitudinem decurrunt. Lignum non solidum aut durum, vero filamentosum atque arundinaceum est. Infra ramum primum, circum truncum, 14—16 annuli adsunt filamentorum, quae crinibus equorum simillima sunt atque arboris signum praebent proprium.

BRUCE suspicatur hanc plantam etiam occurrere in insulis Indiae occidentalis et in America ad latitudinem Septentrionalem 12°. 1) In editione Anglica, descriptionis itineris sui, duae hujus arboris adsunt icones. PEREIRA, qui illas comparavit cum specimine plantae exsiccatæ, quod SCHIMPER ex Abassinia misit et in herbario viri orn. N. B. WARD adest, dicit, BRUCE summo jure perhibere illas ad veram et accuratam naturae fidem esse confectas. Bruce uti vidimus arborum Banksiam appellavit; LINNAEUS autem jam diu antea in libro, cui titulus Supplementum plantarum, plantam quandam ex Nova Hollandia, e familia Proteorum, Banksiam denominaverat: quum multi botanici illum postea hac in re secuti essent, denominatio a BRUCE instituta non invaluit. 2)

LAMARCO etiam nomine infelicissimo Kouosso ornavit,

1) BRUCE. Travels to discover etc. Vol. V. pag. 73. et seq.

2) Pharmaceutical Journal and Transactions. Vol. X. No. 1. pg. 15.



quum illam, in honorem viri clarissimi HAGEN, Professoris Regiomonti qui erat, HAGENIAM ABYSSINICAM appellaret. 1) Hoc enim nomen jam antea MÖNCH (Methodus 1794) Gypsophylae speciei, ad Caryophyllaceas pertinenti, dedit. Clar. ESCHWEILER (Systema lichenum 1824), deinde Parmeliae speciei hoc nomen etiam tribuit. LAMARCO detectorem plantae habet BROWN, verisimiliter ex errore pro BRUCE, quum icon, quam hujus plantae dedit (numero 511) iconi a BRUCE confectae simillima est. Nusquam vero viatorem hunc praeclarum citavit.

Ad botanicos qui plantam sub nomine a LAMARCO ei tributo, descripserunt WILDENOW et SPRENGEL 5) pertinent.

Prior horum, hanc descriptionem plantae edidit 2)

«Octandria Monogynia

751 Hagenia.

Lam. illustr. gen. t. 5. ii.

CAL 2 phyllus. COR. 5 petala plana. NECT foliola 5, petalis quadruplo breviora, Capsula?

1 Hagenia Abyssinica.

Cusso vel Banksia Abyssinica, Bruce itin 5 p. 73 cum icone. Editio germanica 5 pg. 81 t. 22. 25.

Habitat in Abyssinia.

1) LAMARCO. Encyclopedie methodique. (Botanique suppl. Tom. XI pag. 423. 1811.

2) Systema vegetabilium. Tom. II pag. 220. 1825.

3) CAROLI A LINNÉ Species plantarum Edit. 4a, post REICHARDIANAM 5a, adjectis vegetabilibus huc usque cognitis curante CAROLO LUDOVICO WILDENOW. Tom. II pg. 331. Berolini. 1799.



ARBOR ramis annulatis. Folia in ramorum apice conferta, interrupte pinnata cum impari, foliolis ovato lanceolatis, sessilibus, argute serratis, petioli basi dilatati?

Panicula nutans flexuosa. Flores purpurescentes. W.»

Descriptio, quam mercator Armenus Doct. BRAYERO dedit, non accurata erat, quum plantam, quae flores ab illo adhibitos (vide pag. 40) praebebat, arbusculam statuerit. Truncus hujus crassitiem brachii fere haberet, raro illam superaret; 7—8 $\frac{1}{2}$ , pedes altus esset, semina non praeberet, ita ut per surculos propagari deberet; in Abassinia frequenter occurreret. Ex relationibus hisce perversis atque ex iconum a BRUCE et LAMARCO editarum inscientia, certe causa repetenda est, quod Doct. KUNTH de fructu silet (quamvis BRUCE, ut jam vidimus, semina speciatim commemoraverit) atque plantae novum nomen dedit, quum illam in honorem Doct. BRAYER, qui illi flores praebebat, BRAYERAM et secundum vim ejus medicatam ANTHELMINTICAM denominaret.

KUNTH magna cum patientia, ad florum specimina vitiosa, quae a Doct. BRAYER accepit, descriptionem sequentem, virum eruditissimum denotantem, formavit. Plantam ad Rosacearum familiam contulit, cujus species nova praeberet. 1)

Brayera (Kunth)

Genus novum

ex Rosacearum familia Agrimoniae proximum distinc-

---

1) BRAYER. Neuf années a Constantinople T. II pg. 434. 434  
MEIJER AHRENS pag. 37.

tum; 4) calycis limbo duplici, utraque 5 partito; petalis parvis, squamaeformibus; stigmatibus peltato-dilatatis et inflorescentia ramosa.

Species unica

*Brayera anthelmintica*

Descriptio.

**CALYX** persistens; tubus turbinatus, externe sericeus, interne glaber et decemnervius; nervi laciniis oppositi; limbus decempartitus, membranaceus, patens; lacinae quinque exteriores magnae, oblongae, venosae, quinque interiores cum exterioribus alternantes, iisque duplo triplove breviores, spatulatae, trinerviae; faux conico prominens, membranacea, apice pervia, glabra.

**PETALA** 5, imae basi limbi opposita, cum laciniis interioribus alternantia iisque triplo breviora, squamaeformia, linearia, glabra, aequalia, decidua.

---

1) In dissertatione «Sur les substances végétales employées en médecine et désignées dans le commerce sous le nom d'Ipecacuanha par M. LEMAIRE LISANCOURT» quae occurrit in libro dicto: Mémoires de l'Académie royale de Médecine Tom. I. pag. 470. Paris 1828, postquam quaestionem, an inter Rosaceas tales occurrant, quae vi nauseosa gaudent nec ne? comprobaverunt, sequentia occurrunt: «Nous trouvons dans le genre *Brayera*, formé par M. KUNTH, ces mêmes propriétés examinées depuis longtemps en Abyssinie par TOURNEFORT, qui avait nommé cette plante *Agrimonia orientalis*»

Quae si ita essent, tum TOURNEFORT alter fuisset qui Koussou nomine Europaeo ornasset; FERREIRA, (Pharmac. Journal and Transactions, Vol. X pag. 16) attamen satis superque demonstrat haec falsa esse ac fabulosa, quum TOURNEFORT numquam in Africam profectus sit atque *Agrimonia orientalis* (*Agrimonia repens* LINNAEI) planta repens sit, dum *Brayera* arboris magnae sub forma occurrit.

STAMINA 12, 15, 18, 21, ibidem inserta, subaequalia, petalis breviora. Filamenta linearia? libera, glabra. Antherae subrotundae, didymae, biloculares, glabrae, longitudinaliter dehiscentes.

OVARIA duo, in fundo calycis sessilia, libera, lineari-oblonga, apice pilosa et in stylum desinentia, unilocularia. Ovulum solitarium (in unico ovario vidi ovula duo apposita) angulo centrali affixum, pendulum, ovato-oblongum, glabrum. Styli, tot quot ovaria, exserti, glabri, stigmata magna, subpeltata, crenato-lobata et undulata, carnosa et papillosa.

Fructus.....?

ARBOR. Pedunculi, ramosi, teretes, molliter pilosi, flexuosi, bracteati, ramis alternis. Bractee solitariae, integrae, pubes simplex. Flores quaterni, pedicillati, bracteis quatuor involucrati. Bractee subrotundo-ellipticae, obtusae, concavae, tenuiter membranaceae.»

FRESENIUS, momente PEREIRA, primus, genus Hageniae idem quod Brayerae esse, demonstravit 1).

DECANDOLLE, denominatione a KUNTH instituta, primus usus est, atque plantam hocce modo descripsit 2): «XXXVIII, Brayera. KUNTH in Brayer Notic. in 8°. 1824 Paris. Dict. class. hist. nat. V. 2. p. 501 cum icone.

Calyx persistens, tubo turbinato extus sericeo, limbo duplici, utroque 5 partito, lobis 5 externis (bracteolis?)

1) Museum Senkenbergianum. Vol. II. pag. 162. 1837.

2) Prodromus systematis naturalis regni vegetabilis auctore AUG. PYRAMO DECANDOLLE. Pars II pag. 588. Parisiis. 1825.



magnis, oblongis, 5 int. spathulatis brevioribus, fauce per-  
via. Petala 5 squamiformia, parva, linearia, decidua.  
Stam. 15, 20, subaequalia, petalis breviora.

Carpella 2 libera in fundo calycis 1—2 ovulata, styli  
exserti, stigmata subpeltata, crenato-lobata, semina solitaria,  
pendula. Arbor pedunculis ramosis, molliter pilosis, flexuo-  
sis, bracteatis, floribus quaternis, bracteis subrotundo-  
ellipticis.

Flores contra Taeniam adhibentur. Vernaculo dicuntur  
Cotz seu Cabotz. Folia ignota.

Dicotyl. s. Exogenae. Rosaceae. Tribus V Dryadeae.»

ICONES quas BRUCE et LAMARCO Brayerae ediderunt, etiam  
DECANDOLLI innotae fuisse videntur, quum ille folia ignota  
dicat.

ENDLICHER, Brayeram in alia tribu collocavit, scil. Spi-  
raeacearum, licet tamen hæc de re dubitet. Apud illum  
haec invenimus.

«Ordo CCLXXIV. Rosaceae. Subordo III. Spiraeaceae.

Tribus I Spiraea vera.

Genus affine.

6395 Brayera KUNTH, Hagenia WILD. Cusso BRUCE, Ban-  
kesia BRUCE.

AFFINITAS. Spiraeaceae non obscuram cum Saxifragaceis  
affinitatem monstrant, vix nisi albuminis defectu ab iisdem  
distinguendae, ita ut de generum quorundam, quorum  
semina incognita sunt, inter utrumque ordinem sede ambigatur.

GEOGRAPHIA. Brayera dubie ad Spiraeacearum calcem col-  
locatur Abyssiniae incola.



QUALITAS et USUS. *Brayerae anthelminticae* KUNTH (*Cusso*)  
*arboris Abyssinicae flores* tutissimum adversus *Taeniam*  
 remedium perhibent. Sed illorum nec virtus satis explorata  
 est, nec affinitas naturalis stabilita. 1)»

Descriptionem botanicam absolutissimam, recentiori de-  
 mum tempore confectam, debemus Doct. KURR, Professori  
 Scholae Polytechnicae Stuttgartariae quae est, qui illam con-  
 fecit secundum specimen plantae exsiccatum, integerrimum,  
 a SCHIMPERO ex Abassinia missum, quae descriptio, a<sup>o</sup> 1857  
 formata, tota hic sequitur. 2) «Die Blätter stehen abwech-  
 selnd an den Zweigen, sind gestielt, unterbrochen ge-  
 fiedert, von der Länge einer Hand und darüber; der  
 Blattstiel ist geflügelt, unten beinahe unbehaart, gegen  
 die Mitte bis zur Spitze mit langen, borstenförmigen,  
 bräunlichen Haaren besetzt; die Flügel sind unten zu  
 einer die Zweige gänzlich umschliessenden röhrenförmigen  
 Scheide verwachsen, welche nach den Abfallen der  
 Blätter stehen bleibt; die Blättchen sind fünf bis sechs-  
 paarig, und gleichgepaart, lanzetförmig, länglich zugespitzt,  
 scharf gesägt, zottig gefranst, 2 Zoll lang und darüber; die da  
 zwischen stehenden kleinen Blättchen eiförmig, 2 bis 3 zahnig.

«Die Blumen stehen in  $\frac{1}{2}$  bis 1 Fuss langen, schlaffen,  
 eiförmigen, vielblättrigen Rispen in den Blattwinkeln am

1) *Enchiridion Botanicum* auctore STEPHANO ENDLICHER. pag. 660.  
 Lipsiae, Viennae. 1841.

2) VICTOR ADOLF RIECKE. *Die neueren Arzneimittel*, 3 völlig un-  
 gearb. Aufl. Stuttgart. 1842. pag. 101. 103. In editione prima  
 Stuttgart. 1837. pg. 73—76.

Ende der Zweige, auf filzig behaarten, vielfach verästelten, gekniet hin und hergebogenen Stielen, deren Zweige durch eilanzettförmige Deckblätter unterstützt werden, und sind getrennten Geschlechts. Die männlichen Blumen sind kleiner als die weiblichen; von den äussern Hüllblättern sind meist nur ein oder zwei ausgebildet und rundlich eiförmig, die übrigen 2 bis 3 schuppenförmig. Der Kelch ist fast präsentellerförmig, 5 spaltig, mit eilanzettförmigen, kaum eine Linie langen Abschnitten und trägt auf seiner untern Verengerung 15 bis 20 Staubfäden von ungleicher Länge, etwas kürzer als die Kelchzipfel; die Blumenkrone fehlt.»

«Die weiblichen Blumen werden von 4 Hüllblättern unterstützt, wovon eines breiter als lang, halbkreisförmig, ein zweites rautenartig, verkehrt eiförmig, die übrigen fast kreisrund sind; alle sind am Grunde haarig, stark geadert. Der Kelch ist kreiselförmig, untenstehend, mit 5 länglichlanzettförmigen, kronenblätterartigen, stark geaderten (rosenrothen) Abschnitten versehen, ausgebreitet offen, etwa  $\frac{1}{2}$  Zoll weit, am Grunde gefranst und trägt 5 kleine eiförmige, 4 mal kürzere Blumenblätter; seine kurze Röhre umgibt 2 freie Karpelle mit 2 gestielten schildförmig gelappten Narben.»

«Die Frucht stellt zwei Karyopsen dar, von dem Kelchkrug umgeben, wovon jeden einen länglichen mit kurzen Haarschopf gekrönten Samen einschliesst.»

Viatores, quibus Brayeram, tempore quo floret, in patria sua conspiciere licuit, hac de re descriptiones quam diversissimas retulerunt. Ds. FENZL, nuper arborem Brayerae, Fraxino excelso simillimam statuit et e floribus a Doct. SIGMUND Abassinia

acceptis, e carpellis satis bene evolutis, certe agnoscere potuit, Brayeram ad Rosaceas pertinere atque hujus familiae unicam esse speciem, cujus semina albumen continent. Descriptionem insuper botanicam sequentem communicat: «Die Blätter sind wechselständig, die Verzweigungen der Rispen dichotomisch, ferner ist jede einzelne Blüthe durch zwei Bracteren gestützt; sie haben einen doppelten Kreis von Kelchblättern, 3 Blumenblätter und 12 — 21 Staubfäden, innerhalb welchen der Discus der Kelchröhre sich in einem kleinen Tubus fortsetzt, über welchen die zwei grossen, lappenförmigen, dicken Narben der beiden freien Fruchtknoten hervorragen.»

Cum SCHMPERO dubitat an revera flores dioeciae sint. Opinionem istam vulgarem, exinde ortam suspicatur, quod non omnes flores fructificentur et solummodo in floribus fructificatis, calyx externus sese magis evolvat, quod in iis qui non fructificati sunt, non ita esset; paniculae florentes et fructificantes eo adpectu differrent. 1)

Sic religiosus (de quo vidimus pag. 45) arborem cum Pyro Malo nostra Europaea comparavit atque florem esse verticillatum statuit; FERRET et GALLINIER vero, Brayerae, incrementum atque truncum quercus, etiam quoad hujus crassitiem, attribuunt et JOHNSTON Brayeram Aesculum Hippocastanum adaequare statuit, excepta altitudine, quum Brayera saepius altitudinem 50 pedum, monente illo attingat. AUBERT tandem illam Juglandi nostrae regiae simillimam statuit.

1) Oesterr. Zeitschr. für Pharmacie, VI. Jahrg. No. 3.



Quod attinet ad locum ubi *Brayera* crescit, arborem per totam quidem Abassiniam dispersam, regiones vero altiores et montosas desiderare videtur. Monente **ISENBERG** frequenter in provincia Shoa, in Samen, interdum in Agame occurrit. **LEFEBVRE**, Kouso semper invenit in locis 4000 metrorum maris superficiem superantibus atque testatur sese *Brayeram* nusquam, nisi ad altitudinem commemoratam, invenisse, atque quo altiores et montosiores regiones essent, eo frequentius Kouso occurrere. Ut vero luxuriaret, a parietibus, montibus formatis, a temperaturae injuriis protegi deberet.

**AUBERT** nobis communicat, *Brayeram* solummodo in locis altioribus occurrere, praecipue vero in provincia montosa Samen, quam patriam illius statuit, in montibus 8000 pedum maris superficiem superantibus, ubi temperatura potius minor quam major adest. Ibi quoad altitudinem cum *Cedris Virginiae* certaret, atque templa, ut illae, adumbraret.

**PRUNER**, Shoa et Amhara locos esse contendit, ubi arbor Kouso facillime crescit. **SCHIMPER**, Kouso, montes 2—5000 pedum maris superficiem superantes, ubi temperatura variat inter 2—25° R, ad vegetationem desiderare refert. Monente illo, ibi truncus altitudinem saepius 20 metrorum superaret.

**COMBES** et **TAMISIER** in itinere suo, praecipue in montibus, saepius arbores Kouso magnas, validas videbant, quarum rami late expansi erant.

**HARRIS** Kouso semper in montibus invenit sed monet (videat. pag. 18) illam in regionibus, quas gens cui nomen



Galla habitat, quam rarissime occurrere. RÜPPEL refert Brayeram in Abassinia ubivis frequenter adesse. VAUGHAN, praeter Abassiniam borealem et australem, illam etiam in parte Arabiae australis, juxta littora Maris Rubri crescere tradit. 1) Brayeram in locis depressis non luxuriare, vero etiam quoad proprietates mutari, exinde patet, quod AUBERT, descriptionem a BRUCE formatam, qui modo arborem in loco cui nomen Gondar vidit, comprobavit. Ibi, ut ait, lente crescit arbor ista, altitudinem 20 pedum numquam superat, incurvata et flexuosa est atque flores sunt saporis amari, quod de iis qui in provincia Samen colliguntur, dici nequit. Conditiones atvero si adsint omnes, quae incremento favent, planta luxurians crescit atque frequenter occurrit.

AUBERT refert; ubivis terra ubi adest quae culturae apta est, imo in petrarum fissuris, in quas semina minutissima aqua vehuntur, arbor ista sylvestris occurrit, ita ut quam facillime tam stirpes juniores quam semina colligi possint.

ROCHET D'HERICOURT sylvulam arborum Kouso vidit, arbores quae in illa aderant, multo majores erant quam quae ejusdem speciei in alio loco viderat. Adspectum hujus sylvulae pulcherrimum esse refert. Adsunt enim sylvae perpaucae quarum frons adeo est splendida, tam ob ejus uberitatem, quam ob florum paniculas magnas, coloribus diversis fulgentibus praeditas, quae ramos arboris Kouso ornant. Etiam alii viatores sententiam istam confirmant. HARRIS adspectum depingendum statuit. ISENBERG refert Brayeram arborem esse

---

1) SCHMIDT's Jahrbücher 1851 Bd. 69. s. 163.

magnam, superbam, altitudinis saepe 50—60 pedum, cujus rami umbrosi, late distensi, arbori adspectum magnificentum tribuunt.

Inter Brayerae descriptiones fusiores, inprimis illae quas nobis praebuerunt AUBERT et ROCHET D'HÉRICOURT, commemoratione dignae sunt.

Ille haec nobis tradit. Arbor est sempervirens; truncus in plures ramos abit; cortex glaber, albescens, instar platani; ad partem superiorem trunci, eo loco ubi in ramos majores abit, 10—20 annuli observantur, e quibus filamenta oriuntur qualia in apice palmarum nonnullarum conspiciuntur, e quibus funes texuntur. Eadem divisio in annulos, ad finem cujusvis rami florentis observatur; filamenta tamen ibi desunt. Arbor ad familiam Rosacearum pertinet; in ramis florentibus folia, in fasciculum collecta, ad extremitatem occurrunt; in ramis qui non florent, folia alternant.

Folium quodque e numero magno foliolorum oppositorum, lanceolatorum, acuminatorum, dentatorum,  $2\frac{1}{2}$  pollices longorum, coloris profunde viridis, constat. Intra quodque foliolum adsunt alia minora.

Tempore quo floret planta, ad finem rami annulati, fasciculus, e foliis 4—5 constans et ad locum, ubi unum alterumve foliorum ramo adhaeret, legumen observatur, quod sensim sensimque increscit et aperitur; tunc paniculam parvam, compactam, botryoni nondum florenti simillimam conspiciere licet; mox illa increscit et flores aperiuntur, Paniculae nonnullae 45 centimetra longae erant.

Flores, corolla duplici praediti, albi et rubri sunt; omnes

foliolum comitatur quod etiam intra paniculam adest. Calyx, bracteis duabus circumdatus, turbinatus est, punctis parvis tectus; supra calycem corolla parva purpurea, 5 partita posita est. In media parte corollae adsunt stamina 8—12, quibus pistilla duo circumdantur. Corolla altera alba est atque constat e petalis 5 aequalibus, in parte superiore rotundis.

Calyx continet ovaria duo, apposita. Ovario cuique pistillum rotundum atque stamina supraposita sunt; in quovis ovario adest ovulum oblongum. 1)

ROCHET D'HÉRICOURT, in descriptione itineris sui prioris, sequentia de arbore Koussou, quam in regno cui nomen Choa vidit, commemorat. «Je vis pour la première fois sur le Metatite (mons quidam) le Coussotier, Brayera anthelmintica (κυσθη) qui offrait a cette époque (5 Octobris) un spectacle merveilleux. Haut et vastes comme des chênes, ces arbres produisent de grappes de fleurs longues de deux a quatre pieds, semblables a celles de nos platanes, dont le cône serait renversé; ces grappes de diverses couleurs, vertes, rouges pourprées, et jaune fauves, se mêlaient et foisonnaient sur les mêmes branches et pendaient par centaines aux rameaux d'un seul arbre. Leurs fleurs ont double corolle, une grande et une petite; la grande est d'un blanc jaunatre; la petite est d'un rouge pourpré; il y a deux pistils et dix etamines jaunes. Le Coussotier appartient a la famille des Rosacées.» 2)

1) Mémoires de l'Acad. royale de Médecine Tom. IX. pag. 691.

2) C. E. X. ROCHET D'HÉRICOURT. Voyage sur la côte orientale de la Mer Rouge dans le pays d'Adel et le royaume de Choa. Paris. 1841. pag. 134.



Descriptioni itineris sui alterius, jam supra laudatae, ROCHET D'HERICOURT iconem Brayerae cum panicula addidit, quae illi quam BRUCE edidit simillima est. Inter plantas exsiccatas, quas ex Abassinia attulit, nonnulla specimina Brayerae aderant, quorum et Professore DELILLE et Museo historiae naturalis, quod est Parisiis, exemplar dono dedit. In toto vero libro de Brayera nil novi.

PRUNER Gosso ad Rosaceas pertinere refert. Est arbor cujus cortex coloris est laete rubri; folia sunt pinnata, petioli molliter ex rubro pilosi; flores exigui sunt atque Aesculi Hippocastani floribus simillimi. Monente illo, arbor ista Gallis sub nomine Brayerae vermifugae Anglis vero sub nomine Hageniae Abyssinicae nota esset. 1)

Per duas hasce denominationes plantam eandem designari, nonnullis ignotum esse videtur. HARRIS certe opinatur, eas, ad duas plantas diversas pertinere, quum monente illo, infusum ex floribus et capsulis Hageniae Abyssinicae frigide paratum, catharticum et anthelminticum Abassinorum efficacissimum praebeat; Brayera anthelmintica contra, in provinciis meridionalibus ignota esset atque in provinciis Abassinae septentrionalibus, illa, loco Kosso, uterentur. 2)

Secundum JOHNSTON, folia Brayerae, coloris sunt laetioris atque viridioris quam folia Hippocastani. Arbor non ad aetatem provectam pervenit. 3)

1) Dr. PRUNER. Krankheiten des Orients. pag. 247.

2) Gesandtschaftsreise nach Schoa. Bd. II. Anh. 4. pag. 35.

3) Ligno, licet non duro, vero coloris plucherrimi, ad tormen-  
torum manubria (geweerkolven) conficienda utuntur, quae magni



SCHIMPER et PHILIPPE, arborem Koussou ad Dioecias referunt. Monente SCHIMPER, frons coronam foliorum format pulcherrimam. Flores sunt penduli et semper apibus examinati; cortex a trunco dehiscit ut in platanis fieri solet. Flores, qui in commercio occurrunt sunt foeminei. Secundum PHILIPPE arbor floret mensibus Decembris et Januarii.

Multi fuerunt scriptores, qui plantam in Europam posse transferri opinati sunt, tum quod temperatura non egeat magna, tum quod plantae Europaeae in Abassinia luxurient. Jam AUBERT haec proposuit. Quae fieri posse, ex planta Berolinum translata, satis superque patet.

Ex hucusque relatis, cuiusvis conspicuum erit, descriptiones botanicas multis a partibus differre atque non eo modo congruere ut, quominus tanquam accuratae dijudicentur non multum absit.

Procul dubio, in ea parte descriptionis itineris, a LEFEBVRE, DILLON et PETIT confecti, quae de Flora Abassinae tractat, praeter plantae iconem, multa adsunt quibus hic ad elucidationem et emendationem nonnullorum, uti potuissem; opus vero illud mihi non ad manus fuit. 4)

Quum attamen planta vivax nunc in Europam allata sit, spem fovere licet, nos non diu descriptione botanica accurata, carituros esse.

---

pretii habentur nam, quando miles id fregit, stipendium non accipit donec pretium est restitutum.

1) Histoire Naturelle. Flore de l'Abyssinie, par M. RICHARD.  
2 Vol. in 8o. accompagnés d'un atlas de 102 planches grand in folio.  
Prix 270 Francs.

### C A P U T III.

#### DE BRAYERAE ANTHELMINTICAE NOTIONE CHEMICO-PHARMACOLOGICA.

Notiones chemicae, quas de floribus Brayerae, adhuc accepimus, verisimillime ex penuria et prelio magno hujus medicamenti, perpaucae sunt.

Doct. KURR illos primus chemice indagavit. Infundebat ille florum Brayerae Dr.  $\beta$ , cum aq. ebull. unciis ii, atque hoc infusum per semihoram sibi reliquit ut digereret. Fluidum tali modo acquisitum, laete flavum, atque saporis fortiter adstringentis et ingrati erat. Additione Acetatis plumbi, praecipitatum sordido-flavum, Tartari emetici nullum, Sulphatis Ferri praecipitatum profunde nigro-coeruleum, Acidum Tannicum denotans, oriebatur. Charta, Roccellia tinctoria tincta, quoad colorem per fluidum illud non mutabatur. Infusum evaporatum, quantitatem satis magnam Extracti ex flavo brunnei, saporis fortiter adstringentis, diuque persistentis, praebuit. Spiritus vini ex eo quantitatem exiguam resinae extraxit: sacchari ne vestigium quidem observare licuit. Ex digestionem Extracti cum Spiritu vini, tinctura limpida, flava oriebatur, quae addita aqua, turbida facta, resinae flocculos deponebat. Ex tota ista indagatione patuit, flores praecipue e materia extractiva, aqua potissimum extrahenda, Acidum Tannicum continente constare. Hanc

ob causam, KURR, Decoctum praeparatum statuit efficacissimum. 1) BUCHNER etiam flores chemice, licet non accurate indagavit. Exinde patuit, infusum e floribus et aqua destillata paratum, limpidum esse atque facillime percolare; odoris grati, vix percipiendi, saporis esse debilis haud ingrati, parumper adstringentis. Additione Chloridi Ferri, infusum colorem profunde viridem accepit, quod Acidum Tannicum, salia de Oxydo Ferri viride colorans, denotat.

WITTSTEIN florum Brayerae, anno 1840, analysin chemicam profusorem instituit, quam in annalibus quibus titulus, BUCHNER'S Repertorium XX. 24, edidit, quaeque deinde in multis aliis libris annalibus recepta est.

Monente illo, 100 partes florum continent.

Olei pinguis	}	. . . . .	1,44
Chlorophylli			
Cerae		. . . . .	2,02
Resinae acris amarae		. . . . .	6,25
Resinae insipidae		. . . . .	0,77
Sacchari		. . . . .	1,08
Gummi		. . . . .	7,22
Acid. tann. Sal. Ox Ferri viride colorantis		. . . . .	8,94
» » » » » coeruleae »		. . . . .	15,46
Fibrarum vegetabilium		. . . . .	40,97
Salium		. . . . .	13,71
Amissa sunt		. . . . .	0,14
			100,00

1) RIECKE. Die Neuern Artzweimittel. 1837. S. 76. 77. MEYER AHRENS. pag. 42.

Cineres, Potassam, Magnesiam, Alumen, Oxydum Ferri, Acidum Sulphuricum et Phosphoricum. Chlorium et Silicam continebant. 1) WITTSTEIN testatur, Brayeram plantam esse unicam, in qua Acida Tannica ambo simul occurrunt. 2)

Secundum experimenta, quae cum floribus Brayerae instituit MARTIN, continebant; 5)

Amylum.

Materiem sacchariformem.

Materiem extractivam vegetabilem.

Resinam viridem, odorantem, liberam.

Principium crystallinum (Kwoseinum v. Coss.)

quod monentibus PEREIRA et aliis, loco nominis istius barbari, potius Brayerinum appellare debuisset.

Secundum MARTIN principium istud acquiritur sequenti modo; flores Brayerae per 14 dies cum Spiritu vini 56° densitatis macerantur; solutio alcoholica, additione aquae eliminatur, destillatur, ad extractum evaporatur. Extractum istud denuo in aqua solvitur; quae insoluta remanent, percolantur, lavantur, in Spiritu vini fervido solvuntur, denuo percolantur et sibi relinquuntur ut in crystallos abeant. Cry-

1) BUCHNER's. Repertorium. Zweite Reihe. Bd. 18. S. 371. MEYER AHRENS. pag. 42.

2) CANSTATT's Jahresberichte über die Fortschritte in der Pharmacie u. s. w. im Jahre 1851. — Pharmac. Journ. and Transactions IX. pg. 21. HAAXMAN Tijdschrift voor wetenschappelijke Pharmacie. 1851. pag. 17.

3) Journal de Chemie medicale. Tom. VI. 2e Serie 1840. pg. 579.



stalli purae obtinentur, solutione illarum repetita et additione Carbonis animalis solutioni. 1)

Kwoseinum, tali modo paratum, monente Martin, ex aciculis albis, sericeis, saporis adstringentis constat, quae Alcohole, Aethere et Acidis solvuntur, calefactae deliquescunt et in vapores foetidas alcalinas abeunt. WIGGERS monet basin esse, indagazione accuratiori dignam.

Etiam JOBST, Pharmacopola qui est Stuttgartiae, refert, sese, analysi jam antea instituta, corpus quoddam crystallabile, licet quantitate perexigua, in floribus Brayerae invenisse. Ob inopiam et pretium remedii maximum, tunc temporis analysin ex florum quantitate sufficienti instituere non potuit. Nunc at vero hanc instituere et edere promisit. 2)

Ex indagazione chemica, nuper instituta a viris Clarissimis B. VIALE et VINCENZO LATINI, Professores qui sunt in universitate Romae, patuit, flores Brayerae sal Ammoniacale quoddam continere. Acidum organicum peculiare, amarum, quod nomine Acidi Agenici designant, partem hujus salis electro-negativam praebet. Huc usque ignotum esse statuunt, utrum flores Brayerae virtutem Taeniam necandi huic acido, an producto debeant ammoniacali, quod florum destillatione obtinetur. Verisimiliter illam ex connubio duo-

---

1) Saepius, modum a MARTIN propositum, in laboratorio chemico Pharmacopolae BROUWER, quod est Rheno-Trajecti, secutus sum, at vero mihi non contigit eo modo Kwoseinum purum acquirere.

2) BUCHNER's Neues Repertorium für Pharmacie Bd. I. Heft 2, pag. 106.

rum istorum principiorum (Agenate Ammoniae) repeti debere opinantur. 4)

PHARMACOGRAPHIA. Clar. VON GIETL Monachensis, quantitatem Kouusso a Doct. PRUNER accepit, quae eadem in conditione versabatur, qua ex Abassinia venit. Corbis, opiaro nostro simillima, quantitatem omnem, quam tota planta, excepto radice, in partes minores divisa praebuit, continebat. 2) Monente Doct. SIGMUND, flores Brayerae in lagenis vitreis ex Abassinia in Europam afferuntur. 3) Licet in omnibus fere casibus flores modo adhibitos fuisse inveni, tamen hic et illic, foliorum, capsularum et seminum Brayerae mentionem fecerunt scriptores. Haec omnia eadem vi medicata, qua flores, gaudere, me iudice, satis patet, quum Clar. VON GIETL, Brayeram administrare si vellet, totam plantam in pulverem reduci curaret; hujus pulveris, felicissimo cum eventu, ad drachmas sex usque porrigebat.

FLORES BRAYERAE. Multi de iis retulerunt. PEREIRA adfuit dum quantitatem illorum, a ROCHET D'HERICOURT Londinum missam, acciepiebant. Monente illo florum librae fere XXX, in capsula lignea, corio rubro tecta, contentae erant. Quum illam aperirent, odorem fortiter balsamicum, odori Theae, Humuli Lupuli atque foliorum Sennae simillimum, perci-

1) Journal de Med. de Chir. et de Pharmacol. 1853 pag. 60.

2) MEYER AHRENS, pag. 88.

3) Doct. WILLIBALD ARTUS, Allgemeine Pharmaceutische Zeitschrift oder das Neueste und Wissenswürdigste aus dem Gebiete der Pharmacie und practischen Chemie, (V Band, 2e Heft, Weimar 1852.)

piébant; paniculae integerrimae, non fractae erant; massa exsiccata coloris erat ex flavo viridis; petalorum apices, accurate conspecti, rubri aut purpurei coloris. Sapor florum exsiccatorum initio fere nullus, aliquo tempore post, fatuus, amarus, ingratus, saporis foliorum Sennae simillimus erat.

In Abassinia duas distinguunt species, scilicet **KOSSO RUBRUM**, quae e floribus foemineis et **KOSSO ESELS**, quae e floribus masculis constat. Utraque in commercio mixta occurrit. 1) **ROCHET D'HÉRICOURT** tertiam insuper speciem commemorat, quam sub nomine **KOUSSO DU NORD** designavit, quaeque vi medicata caret. An praeter effectus administrationis, alia dentur signa physica quibus distingui possit, ignotum est. 2)

**DOCT. BUDD**, florum *Brayerae* odorem, *Scammonii* simillimum, saporem fatuum, amarum, nauseosum describit. **AUBERT** contendit, pulverem, aqua mixtum, sapore carere; odorem pulveris eundem esse ac illum quem *Corollina Corsicana*, floribus *Chamomillae* mixta, spergit. Monente **PHILIPPE** flores sunt coloris ex rosaceo grisei, odore carent et insipidi aut saporis leniter amari sunt.

**ROCHET D'HÉRICOURT**, qui non diu abhuc, in Europa unicus hujus remedii possessor erat, quantitatem 1400 librarum illius possidebat, quae praetio, quo ab illo existimabatur, valorem florenorum 282.240 constituebat. Experientia docuit, **DOCT. PEREIRA** bene auguratum esse, quum statueret, praetium

1) *Pharmac. Journal and Transactions*. Tom IX. pag. 20.

2) **PHILIPPE** *Receuil des documents*, etc. pag. 21.



diminuendum esse, quum nemo tali praetio quantitatem emere vellet. Anno 1849 et initio anni 1850, remedium habendum erat apud quemdam pharmacopolam, cui nomen BOGGIO, Parisiis qui degebat. In libro annali, cui titulus, Revue Clinique, mensis Decembris anni 1849 et Februarii anni 1850, praetium doseos florenos 20 statuit, quod tamen eodem anno ad dimidium, scil. 10 reduxit. Praetium illud, idem hucusque Parisiis mansit. Duae doses, mense Maji anni 1852, a PHILIPPE, tunc temporis remedii possessore acceptae, cum sumptibus avectionis, quaeque praetio florenorum 11 et dimidii solvebantur. Lagena vitrea, sigillo munita, dosin continebat 4 (BUDD existimat  $4\frac{1}{2}$ ) drachmarum pulveris subtilissimi, coloris ex brunneo flavi, qui odorem Olei Jecoris Aselli spergebat. Libellus a PHILIPPE editus, de quo jam antea, additus erat.

Ego vero flores Brayerae, quibus usus sum, maxima pro parte accepi ab orn. pharmacopola Amstelodamensi MASTENBROEK. Praetium unciae unius medicinalis erat florenus 1 et dimidius. Remedium ab illo acceptum constabat e floribus liberis, qui caulibus orbati erant; odoris erat fragrantis, sui generis et administratum efficax apparuit. Quod praetium adeo imminutum sit (Parisiis enim quantitatis ejusdem adhuc praetium 20 floreni essent) exinde verisimile repetendum, quod pharmacopolae SIMON Berolini et JOBST Stuttgardiae, anno 1852, florum Brayerae quantitatem insignem acceperunt. JOBST, a medico quodam Cairo de gente, circiter 1000 uncias Kouso accepit et nobis communicat, illas recenter ex Abassinia advenisse, odoris esse



fragrantis, e floribus liberis, caulibus orbatis, constare nec in fasciculis ligatas esse, ut plurimum fieri solet. 1)

Praetium remedii maximum et forma pulveris, qua occurrebat, mox ansam vitiationi praebuerunt. PEREIRA nobis communicat, nonnullos, pro pulvere Kouso, pulverem Corticis radice Granatorum substituisse, in detrimentum vis medicatae hujus remedii laudatae. Monente illo, microscopii ope, substitutio illa detegi posset, sed ut certissime ab illa caveatur, necesse esset, ut medicamentum nulla alia sub forma nisi florum acciperetur. Doct. FENZL, dosin florum Brayerae, Parisiis acceptam vidit, quae, praeter substantias non amplius dignoscendas, flores Hyperici, Salicariae et Verbasci thapsi continebat. 2)

CORTEX BRAYERAE. Secundum WIGGERS, ENGELMAN, qui anno 1859 remedium istud Musaeo pharmacologico quod est Monachi, sub nomine corticis Musana dono dedit, de illo primas dedisset notiones. 3) BUCHNER eum sub nomine corticis Brayerae possidet. 4) PRUNER nobis refert, remedium istud in Taeniam efficacius esse quam flores Brayerae. 5)

Secundum BUCHNER, cortex ille occurrit sub forma frustorum planorum, striatorum, quae 4—15 pollices longa, 1—2 pollices lata erant, quorum superficies satis glabra,

1) BUCHNER's Neues Repertorium für Pharmacie. Bd. I. s. 105. 106.

2) Oesterr, Zeitschrift für Pharmacie, VI Jaargang, No. 3.

3) Leistungen in der Pharmacognosie und Pharmacie in Canstatt's Jahresberichte 1850. s. 70.

4) Seeger, die Bandwürmer des Menschen. s. 120.

5) Medicin. Chirurg. Zeitung 1851. No. 3.

ex brunneo cineritii coloris et in frustis magnis, inaequalis et striata erat. Stratum corticale laete flavum est, filamentosum ac tenax. Sapor dulcis, nauseosus, acer, diu persistens: odor fere nullus est. Infusum ex cortice isto paratum, flavi est coloris et additione salium de Ferro compositorum, acidum Tannicum non demonstrat. Acidum Tannicum et Spiritus vini, infuso addita, id ex albo turbidum faciunt, quod ex materie mucosa aut proteiformi oriri videtur. 1)

MARTIUS corticem sub nominibus corticis Musenna, Abusenna, Busenna describit. 2) BUCHNER corticem illum accepit a viro METTERHEIMER, cum frustis nonnullis aliis, quae ejusdem plantae, sed ramorum juniorum agnovit. MARTIUS attamen haec frusta, a planta quadam abassinica, Rottlera Schimperii, provenire declaravit. BUCHNER opinatur, cortices nominatos ita inter se convenire, ut non a plantis diversis provenire possent, ita ut, quum unus revera cortex Rottlerae esset, corticis sic dicti Brayerae origo eadem esset.

SCHIMPER, refert, Leguminosa quaedam incognita corticem Musenna praebere. 3) PRUNER existimat et monente MEYER AHRENS summo cum jure eum provenire a specie quadam Euphorbiae. 4) AUBERT nobiscum communicat, eum corticem esse Cedrae speciei, Cedris virginicis simillimae ac ejusdem ge-

1) MEYER AHRENS. s. 75.

2) Jahresberichte für practische Pharmacie. XXII 335—338.

3) Pharmac. Centralblatt. 1848. s. 925—927.

4) Krankheiten des Orients. pag. 248.

neris (Jūniperi); arbor ista pulcherrima, ad limites Abassinae, 8000 pedum supra maris superficiem occureret. LEFEBVRE arborem commemorat nomine Besenna et vires ejus medicatas laudat.

Procul dubio igitur cortex Brayerae, de quo sermo fuit, cortex revera fuit Musenna, cujus origo, ut vidimus, adhuc in tenebris jacet. Viatorum nemo de usu corticis Brayerae mentionem fecit et licet, secundum experimenta clar. VON GIETL, vi medicata non careat, hoc Abassinis ignotum videtur.

FOLIA BRAYERAE. In Nosocomio, cui nomen Kings College Londini quod est, anno 1850 experimenta cum iis fecerunt, felicissimo cum eventu. Dolendum at vero est non certe constare, folia administrata, revera fuisse folia Brayerae.

CAPSULAE et SEMINA BRAYERAE. Capsulis, monente HARRIS, floribus mixtis, seminibus interdum, monente BRUCE, in Abassinia utuntur.

PRAEPARATA OFFICINALIA hucusque fere sunt incognita. Anno 1852 pharmacopola SIMON, Berolini qui est, primus Extractum florum Brayerae paravit, ut eo, nausea, quae post administrationem mixturae Kouso oritur, tolleretur. Ex uncis IV florum, extracti unciam I $\beta$  paravit, quod pilularum sub forma potissimum porrigendum suadet. 1)

Aestate ejusdem anni Extracta sequentia paravi scilicet.

EXTRACTUM AETHEREUM. Pulveris florum Brayerae uncias duas cum Aetheris Sulphurici uncis VIII, in lagena bene clausa per

---

1) Nederlandsch Weekblad voor Geneeskundigen. 30 Mei 1852.



48 horas extrahebantur. Pulpa illa expressa et percolata, fluidi viridescantis uncias IV et scrupulos II praebuit; per balneum aquosum tepidum, Aetheris Sulphurici, parumper viridescantis uncias III destillavi; quae remanebant, ad consistentiam debitam evaporata, Extracti viscosi, viridis, saporis acris amari, drachmas II $\beta$  praebant.

**EXTRACTUM AQUOSUM E FLORIBUS BRAYERAE, JAM ANTEA AETHERE EXTRACTIS.** Pulveris florum Brayerae, expresso fluido aethereo, uncia I et drachmae VII remanebant, quas cum aqae ebullientis unciis XXX infundebam quaeque per 56 horas cum illis macerabantur, dein exprimebantur; fluidum percolavi et ad consistentiam debitam evaporavi. Extracti, tali modo parati, fere drachmas II $\beta$  obtinui; brunnei erat coloris, odorem parumper Electuarii lenitivi habebat, sapor dulcescens erat.

**EXTRACTUM AQUOSUM.** Drachmas XV $\beta$  pulveris florum Brayerae cum aqae ebullientis unciis XXX in vase bene clauso infusas et per 14 horas sibi relictas, expressi, postea fluidum percolavi et evaporavi. Extracti, tali modo parati drachmas III et grana X obtinui; brunnei erat coloris, odoris erat ejusdem ac florum exsiccorum, saporis erat parumper amari, adstringentis, diu persistentis.

Quantitas Extracti, quam SIMON obtinuit, multo major est, quum ex quantitate flor. Brayerae, quam ego adhibui, Extracti drachmas VI, monente illo, obtinere debuissem. **Modus** quo ille Extractum paravit mihi attamen ignotus est.

**VIRTUTES MEDICATAE.** Cuinam principio, Brayerae vires medicatae tribuendae sint, nondum liquet. SOUBEIRAN Brayeram ad eas refert plantas, quae vim medicatam Acido Tan-



nico, in iis contento, debent. 1) GUIBOURT, qui Brayeram inter Spiraeaceas collocavit, hac de re nihil tradit. 2)

PEREIRA opinatur, nec proprietates botanicas, nec compositionem chemicam, signa distincta offerre, e quibus, vim Brayerae anthelminticam, efficacissimam, experientia comprobata, suspicari liceat. Rosaceae universe gaudent vi adstringente, ex Acido Tannico et Gallico, quae in illis adsunt, Brayerae vis anthelmintica ex eo repeti nequit, quum Rosae et aliae hujus familiae plantae, eadem vi gaudere tunc deberent. At vero, ut in aliis familiis, sic et in Rosaceis, sunt quae a norma recedunt. Ad illas Brayera pertineret. Alio loco, PEREIRA animadvertit, Acidum Tannicum in causa vis Brayerae anthelminticae esse quidem posse (cortex radicis Granatorum ejus continet quantitatem insignem) sed verosimillime illa ex resina acri, in aethere et alcohole solubili, quae nec proprietates acidas, nec alcalinas, praebet, sed corpus neutrum videtur, repeti debere. Virtutes medicatae etiam oleo volatili, quod, testante plantae odore, Brayera continet (licet de illo in analysibus chemicis mentionem non fecerint) tribuendae essent, eoque magis, quum, monente ISEMBERG 3), periculosum sit, sub arbore Brayera florente dormire, ob ejus proprietates medicatas. Inprimis hoc patet ex eo, quod monente SCHIMPERO, flores, anno tertio

---

1) Traité de Pharmacie theorique et pratique 3e ed. Paris. 1847 Tom II pag. 20.

2) Histoire naturelle des drogues simples 4e ed. Tom III pag. 284. Paris. 1850.

3) Tagesberichte etc. Bd. I s. 7.

postquam collecti erant, in Abassinia, vi medicata orbatu habentur. In Europa, ob clima frigidius, illam diutius servarent.

Flores, quibus in Anglia utebantur, jam 4 annis ante collecti erant. Pharmacopola quidam Parisiis, testatur flores per longum tempus virtutes medicatas servare. 1) PRUNER, qui floribus Brayerae frequenter usus est, observavit, flores vim medicatam per annos conservare, licet sensim sensimque gradu minore, ita ut ad usum medicum dosis florum vetustorum augeri deberet. 2)

Me iudice, vis Brayerae anthelmintica, ut PEREIRA fecit, non inde repeti debet, quod a norma recedat, si ad Spiraeaceas pertinet, quum Flores Spiraeae Ulmariae in Siberia remedium in vermes praebeant indigenum, 3) quod Doct. MURRAY in Taeniam commendavit, quo remedio nuper Doct. MARTIN SOLON, ad Taeniam expellendam, licet frustra, usus est. Insuper folia Spiraeae filipendulae in Russia adversus Taeniam adhibentur. 4) Vis anthelmintica igitur Spiraeaceis inest et quando Brayera ad illas pertinet, a norma recederet, ea vi carente.

Praetium valde imminutum certe administrationi frequentiori favebit et remedii efficacitatem probabit. Admodum igitur optabile esset ut in patria, sicuti in Bavaria remedium in Pharmacopoeam nostram recipiatur.

---

1) Pharmac. Journal and Transactions. Vol. IX pag. 22.

2) Krankheiten des Orients. pag. 247.

3) Oslander's Volksarzneimittel 1829. s. 187.

4) Oken's Naturgeschichte. 1841. Botanik. III 3e Abth.

## C A P U T IV.

DE TAENIAE IN ABASSINIA CAUSIS ET EFFECTIBUS,  
DEQUE FLORUM BRAYERAE USU ADVERSUS HANC  
VERMIUM SPECIEM IBI RECEPTO.

Postquam egimus de iis quae florum Brayerae Botaniam et Pharmacologiam spectant, indagatio historica, tum de remedio, tum de morbo, in quem remedium illud adhibetur in regione unde medici Europaei illud petierunt, ex Abassinia scil., non omni momento carere videbitur. Hoc igitur in capite historice agam de causis quibus Taeniarum in Abassinia frequentia debetur; de morbi istius effectibus; de modo, quo in Abassinia Kouso in hunc morbum utuntur, quibusdam observationibus confirmato et tandem de actione quam Kouso in organismum efficere perhibetur. Erit igitur, ut monui, indagatio historica, ex qua patebit, sententias diversas longissime inter se differre.

Frequentiam Taeniarum in Abassinia viatores diversi diversissimis attribuerunt causis. Jam GODIGNUS causam ex usu carnis crudae repetit. 1) COMBES et TAMISIER opinantur carnem crudam atque aromata, quibus Abassini praecipue

---

1) Vid. pag. 6.

utuntur, vermibus dispersioni quam maxime favere. Monentibus illis, Abassini ipsi aquam causam accusant; quae ita esse eo probare conantur, quod oves nonnullae, quae nec carnem crudam nec aromata edunt, attamen Taenia corripiuntur. 1)

VON KATTE ejusdem est sententiae ac Abassini. Secundum illum rivus vivus in Abassinia rarissime observatur, quum omnes majori minorive gradu exsiccent. Aqua rivorum istorum tarde fluentium sordidissima atque insana est; vermium ac insectorum nocentium legiones in ea adsunt, ita ut ab hominibus et animalibus vix potari possit. Aquam depravatam verisimillime igitur causam statuit Taeniarum frequentiae, tum in hominibus, tum in animalibus. 2) RÜPPEL 3) et HARRIS 4) ambo causam ex esu carnis crudae repetunt.

ROCHET D'HÉRICOURT vero existimat Taeniarum in Abassinia frequentiam procul dubio, usui immoderato tum nutrimentorum fructibus Capsici frutescentis adpersorum, quam panis speciei, cui nomen Tef, deberi. 5)

Doct. PETIT carnem crudam non in causa esse contendit quum 1<sup>o</sup>. Europaei, qui illa in Abassinia non vescebantur, (LEFÈVRE, D'ABBADIE) attamen Taenia correpti sint, atque 2<sup>o</sup>. in Helvetia, cujus situs geographica Abassinae situs simillima est, regiones adsint, quarum incolae eandem dis-

1) Voyage en Abyssinie, Tom I pag. 276.

2) Reise in Abyssinien im Jahre 1836.

3) Reise in Abyssinien 2er Bd. pag. 54.

4) Gesandtschaftsreise in Shoa, Bd. I pag. 268.

5) ROCHET D'HÉRICOURT. 1er Voyage pag. 308.



positionem in Taeniam habent, licet carne cruda non vescantur. Nec panis cui nomen Tef, nec potus quidam Hydro-mel, monente illo, causae essent, sed ubivis ubi Taenia grassatur, verisimillime ex aqua corrupta causa repeti deberet.

Quae vero FERRET et GALLINIER hac de re referunt, sententiae isti e diametro sunt opposita. In itinere suo semper, quoad iis licuit, more Europaeo vitam egerunt et Taenia liberi manserunt. Plurimi viatorum illis cognitorum, qui more Abassinico vivebant, hujus moris noxiis affecti sunt. 1)

JOHNSTON causam quaerit in salis culinariae parcimonia in cibis praeparandis. 2) MEYER AHRENS, fatetur sese nescire an haec pro tota Abassinia (cujus JOHNSTON modo partem, scilicet regnum Choa, adiit) quadrent, sed quando legimus sal istud, in usum incolarum Choeae ex lacu salino, in deserto sito colligi et exinde camelis transportari, — salis fragmenta insuper in Choa speciem nummorum constituere, — atque eos, qui in usum caeterarum Abassiniae regionum sal colligunt, periculis horrendis esse expositos, non mirum videbitur, sal culinare in Abassinia non semper et ubivis abundare.

AUBERT argumentum illud fusius quam alii viatores tractavit. Ille quoque causam ex Abassinorum victu, scilicet non e pane cui nomen Tef et pipere, vero carne cruda repetit. In Abassinia numquam piper, vero semper panem Tef causam accusarunt. Panis iste, monente AUBERT, victum constituit gratum atque levem, quo vermium origini non favetur ita

---

1) MEYER AHRENS. pag. 14.

2) Ibid. pag. 18.

ut in causa esse non possit, eoque magis, quum Turci, inter quos Taenia quam rarissime occurrit, hoc pane uberime utantur.

AUBERT carnem crudam causam accusat, idque duplici ratione probat, scil. 1°. Turci in Abassinia degentes, numquam carne cruda utuntur et soli Taenia sunt liberi; atque 2°. omnes Europaei, quos Taenia non agressa est, ii erant, qui carnem crudam non ederant et, quam maxime poterant, more Europaeo vitam egerant.

Hanc sententiam probat venerabilis GObAT qui, prima vice quum in Abassinia degeret, more Abassinorum vivens, Taenia corripiebatur, quam, in Europam redux, expellere non potuit. Quum deinde in Abassinia rediisset, administratione florum Brayerae, Taeniam expulit; vixit deinde more Europaeo, nec umquam in posterum Taeniae vestigium observavit. Religiosi tres alii, (foemina et mari duo) ut et Armenus qui jam per 12 annos in Abassinia degerat, omnes more Europaeo vitam agentes, a Taenia liberi manserunt, quum contra Europaei duo, Graeci duo, Armenus, AUBERT ipse et itineris sui socius, omnes more abassinico viventes, Taenia correpti sint. Excipit tamen Turcum, qui per 20 annos in urbe Adouah degerat, quique, licet nec pane Tef, nec carne cruda umquam usus esset, Taenia correptus est.

Ex omnibus hisce relatis, monente AUBERT, satis superque patet;

1°. Taeniam in Abassinia, aequè ac in Europa, ubi modo carne cocia et pane ex frumento confecto vescuntur, occurrere posse:

2°. Taeniarum in Abassinia frequentiam, non ex usu panis cui nomen Tef, vero carnis crudae oriri; carnem crudam, licet Taeniarum non sit causa proxima, ut testantur observationes quas commemoravimus, attamen illarum evolutioni quam maxime favere.

Praeter jam allata, AUBERT, ad sententiam corroborandam, sequentia insuper adfert argumenta; 4°. Quod BREMSER quin etiam et carnem coctam et lactem causas occasionales habet. BREMSERI sententia ista, nititur observatione Clar. REINLEIN, qui per decem annos artem medicam in coenobio monachorum quodam exercens, in quo, monachi piscibus et oleribus solummodo nutriti, numquam lacte aut carne fruebantur, ibi nullum Botriocephalo lato correptum vidit. Insuper apud Tyrolos, qui potissimum oleribus, etiam lacte sed parce carne cocta utuntur, Taenia rarissime occurrit.

2°. Quod canes fere omnes, praecipue ii qui carne cruda nutriuntur (chiens de combat), Taenia laborant. SEGALAS, qui multos canes, carne cruda nutritos, dissecavit, causam Taeniarum frequentiae in hisce animalibus statim nutrimento attribuit, quum de Taeniarum in Abassinia endemia atque de nutrimentorum Abassinorum natura, notiones acciperet;

5°. Quod omnes mures, qui in loco Parisiis pellibus detrahendis destinato, cui nomen Montfaucon, occurrunt et carne cruda nutriuntur, Taenia correpti sunt. Usus carnis crudae itaque Taeniarum evolutioni, tum in hominibus, tum in animalibus favet atque causam sistit occasionalem.

Exinde sequi deberet, sic pergit AUBERT, ut carnivora



omnia Taenia affecta essent. Monente PALLAS, Helminthiasis frequentius apud carnivora quam apud rodentia aut ruminantia occurreret. BREMSER hoc reprobat sed nec ille nec PALLAS Taeniarum mentionem fecerunt specialem. Notum est Taeniam non eo numero apud bovem et vaccam inveniri, quo apud oves. Asinus et mulus rarius Taenia laborant, equus vero frequentius. Haec omnia caeteroquin argumenta allata nequaquam infirmant. 1)

Doct. PRUNER, quum de Taeniarum apud Syros, Arabes Abassinos et Aethiopes frequentia tradit, monet, Taeniam verosimille populos nomades et incolas regionum istarum afficere, qui victu crudo animali, lacte, caseo, carne cruda lardo, etc. nutriuntur: populos atvero illos, qui vegetabilia potissimum assumunt, Ascarides comitari. Natura autem, monente PRUNER, in nullum morbum, hominem talibus instincti armis munivit, qualibus in vermes. Sic Aegypti, cum victu fatuo, farinaceo, vegetabilia, Allia cruda et Allium sativum desiderant et Abassini carnem crudam fumantem quantitate piperis enormi condiunt, quo directe organorum digestionis inservientium actio augetur et simul indirecte parasitae origo impeditur. Insuper naturae providentiam rationalem observare licet. In Aegypto, praeter Allium cepam et sativum, Artemisiae abundant et Abassinia Anthelminticis in Taeniam specificis gaudet. 2)

SCHIMPER, botanicus quidam Wurtembergensis, qui per

---

1) Memoires de l'Academie royale de Medicine. T. IX pag. 697 seq.

2) Krankheiten des Orients. pag. 249.



plures annos in Abassinia degit et a Rege Abassinorum provincia Antischko donatus est, causam ex Abassinorum nutrimentis repetit. Haec constituunt caro cruda, ventriculi crudi ovium, caprearum, Antilopes rupicarpae (Antilope) et Antilopes Dorcae (Gazel), conspersi jusculo ex intestinis horum animalium tenuibus collecto; panis male confectus ex farina male trita, quae provenit a plantis, quibus nomina, Teff, Zea Mays, Sorghum, a pisis, fabis et avena sativa, rarissime a tritico vulgari. Panem cui nomen Teff, praecipue albi coloris, quique optimus habetur, ditiores tantum utuntur. Turci ditiores, qui, monente SCHIMPERO, carne cruda non utuntur, Taenia carent; Turci pauperi, etsi carnem crudam non edant, attamen Taenia correpti sunt. SCHIMPER, panem male confectum, quo utuntur, in causa esse contendit. Monente illo, omnes Europaei, qui per decem annos ultimos, ex ejus consilio, modo carnem coctam et panem bene confectum ederant, a Taenia liberi manserunt, dum Taenia omnes aggressa est, qui consilium suum neglexerant. SCHIMPER ipse, numquam carnem crudam, sed panem, ex planta graminea Teff aut Amylo tritico confectum, edit et pro potu infusum Coffeae Arabicae aut Theae, quando illud habere potuit, assumit. Omnes Christiani, in Abassinia nati, monente illo, Taenia laborant, uno excepto, qui praescripta sua diaetetica exsecutus est. 1)

Ex omnibus hucusque relatis patet, prae caeteris,

---

1) MEYER AHRENS, pag. 90 Confer. Pharmac. Centralblatt 1841 No. 57, pag. 925 seq.

Taeniarum in Abassinia frequentiae causas accusari.  
 1º. Nutrimentorum naturam eorumque praeparationem perversam: 2º. Aquam depravatam.

Utramque sententiam laudant atque confirmant alii, alii negant, Quoad cibos, duos praeprimis, scil. carnem crudam et panem male confectum, in causis esse contendunt observatores.

MEYER AHRENS, criticus ingeniosus, de illis, in opusculo jam saepius laudato 1), haecce tradit. Carnem crudam non causam sistere sequentia probant: 1º. Quod ii, qui carnem crudam non ederant, attamen in Abassinia, aequae ac alii, Taenia correpti sunt.

2º. Quod longe abest quin usus carnis crudae commune sistat nutrimentum, tam ob numerum insignem dierum esurialium, quibus Abassinis carne uti non licet, quam quod pauperibus, imo civibus ditioribus, non nisi belli tempore aut in coenis principum, illa vesci contingit.

3º. Quod caro cruda non unicum Abassinorum efficit nutrimentum. Quae revera ita esse, ciborum e carne cocta aut farina compositorum, olerum ac fructuum magna copia, in Abassinia usitata (quam ille enumerat), testatur.

4º. Quod PRUNER deceptus fuit, quum nobis traderet, apud populos qui vegetabilibus vescuntur uti Aegyptios, ascarides, apud illos vero qui carnem crudam pro nutrimento assumunt, taeniam frequenter occurrere. Jam ERESIUS et PLINIUS, ut et recentioris aevi viatores, HASSELQUIST, BROWNE

---

1) MEYER AHRENS, pag. 6 seq.

et CRUVEILHIER, hanc illius sententiam reprobant, quum communicent taeniam in Aegypto endemice grassari. BROWNE, sententiam statuens e diametro PRUNERO oppositam, diaetam vegetabilem, Taeniarum causam commemorat. Medici etiam qui Cairo degebant, HASSELOQUIST, quum de causa rogaret, nutrimenta prava, quae magna pro anni parte e fructibus Cucumeris Melonis et Cucumeris sativi minoris (augurken) constabant, causam accusabant. Apud Judaeas, praecipue Saccharinorum usus immoderatus insuper vermibus origini faveret.

Ea vero, quae Doct. BILHARZ, Cairo qui est, de Nematodum frequentia apud incolas Aegypti nuper tradidit, PRUNERI sententiam confirmant. Monente illo, uno eodemque in cadavere saepius occurrerent 1000 et ultra Strongyli (Ankylostoma) duodenales, 20 ad 40 Ascarides lumbricoides, 10 ad 20 Trichocephali dispaes et 1000 et ultra Oxyurides vermiculares. Taeniam solium, corona armatam, BILHARZ modo 5 vel 4, semel 3 in uno cadavere invenit. In 200 cadaveribus ter Echinococcum in hepate observavit. Taeniam Nanam semel, magna copia in Aegyptio quodam invenit. BILHARZ insuper Aegyptios, ex usu foliorum et radicium crudorum, vermibus teretibus affectos monet. 1)

3<sup>o</sup>. Quod in regionibus ubi carne cruda non vescuntur et in nonnullis quidem eodem numero, quo in Abassinia, Taenia occurrit. MEYER AHRENS hic refert, quae Doct. PETIT

---

1) Vierteljahrsschrift für die Practische Heilkunde 1853, X. Jahrgang 1853.

de tali regione in Helvetia tradidit 1), sed ipse, licet Helvetiae incola, fatetur, talem regionem sibi incognitam esse.

Quoad ea, quae Doct. AUBERT hac de re retulit, MEYER AHRENS admonet, ex Turci exemplo, ab AUBERT allato, aequae e casibus quos Doct. PETIT commemorat, satis superque constare, eos, qui carne cruda non utuntur, attamen Taenia corripri posse; peregrinos vero, quos Taenia agressa est, totam vitae degendi rationem mutavisse atque nutrimenta abassinica omnia verosimillime assumpsisse.

Quoad observationes clar. REINLEIN 2), MEYER AHRENS earum numerum non talem existimat, ut exinde quae ille perhibet concludere possis. De frequentia Taeniarum in canibus, carne cruda pastis, MEYER AHRENS dicit, Taeniam in toto canium genere frequenter occurrere, imo vero in cane domestico, quin imo in canibus, quos Doct. CRUVEILHIER per 6 menses pane nigro et aqua nutriverat, intestina tenuia, Taeniis repleta esse.

Mures, in loco qui dicitur Montfaucon degentes, MEYER AHRENS, ad speciem Muris decumani refert, quae species, licet carne cruda libenter utatur, attamen et alia assumit nutrimenta. Taenia insuper toti Muris generi propria est.

Quoad panem, qui dicitur Tef, MEYER AHRENS sententiam Doct. AUBERT comprobat, hunc, praecipue quando rite confectus est, nequaquam in causa esse, eoque magis cum vulgo una cum cibus Pipere hispanico aut aliis aromatibus

---

1) Vide pag. 60.

2) Vide, pag. 63.



additis, illo utantur. Quod attinet ad alios cibos farinaceos, ineptos, nobis repetamus, dicit MEIJER AHRENS, panem secalinum, quo rustici nostri, absque substantia corrigente, utuntur. Usus piperis aliorumque aromatum, in regionibus tropicis frequens, etiam causa haberi nequit, quum nutritio insipida Helminthiasi magis favere videatur quam aromatica.

Licet MEYER AHRENS sententiam eorum, qui aquam causam statuerunt, non plane rejiciat, sibi non liquere fatetur, cur, quando aquam medium dispergens ac Taeniarum Endemiae in Abassinia causam habemus, Entozoa ista, in aliis regionibus, eadem ratione non latius diffunderentur. Aliud si medium dispergens causam proximam habemus, eodem redit, itaque necesse est, ut praeter medium illud dispergens, aliud insuper esse statuamus, quod Taeniarum in Abassinia augmento insigni favet. Quidem statuere possemus, observatione (si vera est) nitentes, externos, qui more Abassinico non vivunt, a Taenia liberos manere, eos vero, qui Abassinicam vitae degendi rationem sequuntur, constitutionem peculiarem accipere, quae, ovorum vermium aut vermium pullitiei, in corpore acceptae, evolutioni faveret, sed in priori casu roges, cur in aliis regionibus, ubi et numerus major eodem modo vitam degit, numerus eorum qui Taenia vexantur, ratione habita incolarum numeri, exiguus certe minor sit? Insuper hanc sententiam comprobare vetat, quod jumenta in Abassinia, quae certe Abassinorum vivendi rationem non sequuntur, attamen Taenia laborant. Nihilominus nobis non licet, tam diu, quam ea, quae AUBERT,

FERRET et GALLINIER nobis retulerunt, falsa esse non probaverunt, vivendi rationi omnem vim in Taeniarum augmentum interdicere, sed suspicari debemus, aliud momentum congruere, sive tale sit, quod in hominum et animalium corporibus, assidue et intensius quam alio loco agens, ea corpora, ovorum aut pullitiei Cestodum evolutioni apta reddit, sive tandem tale sit, quo Cestodum prolis vita servatur, dum aliis in regionibus verosimile majori numero intreat.

Ambo momenta ista, verosimile in climatis conditionem congruunt. Haec vero ut certius constarent, nobis opus esset observationibus fusioribus, tum de Cestodum dispersione geographica, tum de conditionibus, sub quibus majori minorive numero Cestodes occurrunt. Quae vero quum nobis praesto erunt, tunc demum quaestionem dirimere licebit.

Doct. SILVESTER, KUCHENMEISTERI sententiam secutus, Taeniam in Abassinia, ex Cysticerco qui usu carnis crudae in corpus suscipitur, oriri statuit. 4)

Vivendi rationem non omni vi in Taeniarum prolationem carere, me iudice et observationes Doct. WEISS, Petropoli qui est, probare videntur. Quum de actione praeclara carnis crudae in infantes atrophicos agit, simul tradit, pueros tali modo nutritos, aliquo tempore post, fragmenta Taeniae Solii ibi rarissimae expulisse, quum tamen eorum familiae nemo Taenia laboraret. 2)

---

1) SCHMIDT's Jahrbücher, 1853. Bd. 77 pag. 174 (prov. Journ. eptr. 52)

2) SCHMIDT's Jahrbücher, 1852. s. 197. Vierteljahrschrift für die Practische Heilkunde 1852, Bd. 32, Pharmacologie s. 9.

Liceat hoc loco mentionem facere de iis, quae viri docti de effectibus, qui Taenia in Abassinia producuntur, annotaverunt. Doct. PETIT, qui dum in Abassinia erat, Taeniam apud se ipsum et alios observavit, nobis hac de re sequentia communicat. «Le Kosso, c'est ainsi que les habitants nomment le ver solitaire, détermine d'ordinaire les symptômes suivants: On éprouve un sentiment de faiblesse, qui se manifeste surtout par une lassitude très grande après le moindre exercice, la tête est douloureuse, l'estomac, particulièrement après les repas, est le siège d'une douleur avec chaleur et sensation d'une espèce de grattement. Pour mon compte je fus quelquefois tourmenté de coliques atroces avec sueurs froides, dévoiement et un état de malaise inexprimable, qui me rendait indifférent à tout ce qui m'entourait; j'étais alors plongé dans cet hébètement, qui accompagne le mal de mer, paralyse la volonté et ne vous permettrait pas de faire le moindre mouvement pour éviter un danger. Un signe pathognomonique c'est la décoloration des matières fécales, qui deviennent blanchâtres, ou plutôt fauve clair, gris jaunâtre et présentent parfois des débris de Taenia.» 1)

AUBERT modo breviter commemorat, Abassinos per totam vitam Taeniam conservare, atque quando dolores obscuros aut colicos percipiunt, statim Anthelminticum assumere, quod mox levamen illis affert. 2)

PRUNER hac de re tradit, praeter symptomata ubivis nota,

1) Relation Historique, Tom II pag. 362.

2) Mémoires de l'Académie Royale de Médecine, Tom IX pag. 690.



quibus vulgo oculi lacrymantes atque infiltratio palpebrae inferioris, praecipue Aethiopsis accedunt, volvulum et convulsiones frequenter ex Helminthiasi ista oriri. Apud Syros, loco convulsionum, soporem observavit. Etiam casum Abassini cujusdam commemorat, ut videbatur aneurysmate aortae abdominalis laborantis. Aneurysmatis symptomata vero, post Taeniam, 50 pedes longam, expulsam, disparuerunt. Taeniarum sequelam frequentem, cachexiam hydropicam et marasum esse dicit. 1)

Monente vener. religioso, jam supra commemorato, fragmenta vermis libera ob mensem secundum expelluntur et quidem eo modo, ut cum alvo prima, vermis fragmenta 1<sup>'''</sup> longa, 1<sup>'''</sup> crassa et 2<sup>'''</sup> lata, alba, glabra, ut plurimum viventia, deponerentur. Anthelminticum quoddam si non statim adhibetur, duobus diebus post, absque alvo et sensatione in ano peculiari, assidue fragmenta talia deponuntur, quae sensim sensimque breviora et crassiora evadunt. Fragmenta majora attamen non observantur. Anthelmintici usu nunc etiam praetermisso, carebaria, oculi debiles, languidi, interdum inflammati, fames vehemens aut ciborum fastidium et imprimis dolores in abdomine oriuntur. Quum vero omnes Abassini regulariter floribus Brayerae aut cortice radicis Granatorum utantur, talis symptomatum aggravatio raro observatur. 2)

1) Krankheiten des Orients, pag. 246.

2) MEYER AHBENS, pag. 6. RIECKE neuere Arzneimittel, s. 73. 74.



Quoad administrationem et praeparationem nostri remedii in Abassinia, viatores diversi, diversissimos retulerunt modos.

GODIGNUS jam nobis tradidit Abassinos, quovis mense, hoc remedio uti. BRUCE hac de re monet, Abassinos manipulum florum Cusso exsiccorum, cum duabis heminis, cerevisiae specie impletis, infundere. Mixturem per noctem unam sibi relinquunt atque deinde illam ad vermes expellendos assumunt. Dum hocce medicamento utuntur, domi manent (sicut Aegyptorum olim fuit mos) atque amicos non recipiunt.

Secundum RIECKE, (qui ea tradit quae religioso, de quo saepius sermo fuit, et SCHIMPERO debet) pro Abassino adulto manipulus fortis florum recentium intra lapides teritur donec pulpa sit, quae cum aqua aut Hydromelle miscetur. Mixturem eam, eo tempore quo parasitae fragmenta sponte expelluntur, mane assumunt.

Monentibus COMBES ET TAMISIER, Abassini, hocce remedio, quovis mense secundo, in vermem utuntur. Flores ad farinam reducunt, cujus manipulum cum poculo, aqua impleto, miscent atque jejuni haec omnia potant. Non vero omnes, ut BRUCE contendit, solummodo principes, in loco discreto manent sub usu florum Brayerae, ut ibi libertate frui possint qua hisce in conditionibus indigent. Plebs at vero publice sese purgaret. 1).

RÜPPEL decoctum florum Brayerae ad unciam Iβ, cum aqua, praeparatum, usitatissimum hujus remedii esse contendit,

---

1) Voyage en Abyssinie Tom I pag. 272. seq.

quod si potatur, corpus celerrime et certissime a parasita voracissima liberatur. 1).

ROCHET D'HÉRICOURT nobis sequentia communicat. Licet omnes conditiones ad flores Brayerae bene exsicandos rite observatae sint, priusquam adhibentur, per horam unam solis calori exponuntur. Deinde grammata 46 illorum, in lapide horizontaliter posito ad pulverem reducuntur; pulvis iste cum hemina, pro dimidia parte aqua impleto, miscetur et hoc infusum uno haustu assumitur. Postquam Taenia expulsa est, ope aquae tepidae, florum Brayerae quae in ventriculo remanserunt evomunt. 2).

HARRIS, ea quae COMBES et TAMISIER retulerunt, scil. quod principes, dum Kouso utuntur, amicos non recipiunt, confirmat, quum Rex Choae, diem, quem ad illos excipiendos constituerat, procrastinaret. Flores Brayerae adhuc in corpus regium agebant ita ut procedere non posset. HARRIS, Kouso praeparatum statuit horribile gustu, quod omnes, qui immoderate carne cruda usi sunt, assumunt. Abassini ob 50 dies, infuso e floribus et capsulis Brayerae frigide parato, utuntur. 3).

Secundum relata Doct. PETIT, Abassini flores Brayerae sequenti modo praeparant. Florum manipulus, a sordibus mundatus, in lapide teritur cum aquae quantitate sufficiente ut massa oriatur mollis, pulposa, cui additur Hydromel aut

1) Reise in Abyssinien, etc.

2) 1er voyage, pag. 108.

3) Gesandtschaftsreise nach Shoa, Bd. I pag. 268.

aqua, cui PETIT nomen dedit «Eau de levain», quam Abassini vehiculum existimant hydromelli praeferendum. Potione ista assumpta, aegrotans sedere, omnem evitare motum ac silere jubeatur. Positione enim corporis horizontali aut motu, nausea et statim deinde vomitus oritur, ita ut aegrotans oleum et operam perdiderit. Vulgo fit, post motus validos, non dolentes in abdomine jam antea perceptos, vermem integrum, non in fragmentis divisum, agglomeratum, expelli. Post alvum priorem, incolae cibos assumunt ad vermum expulsionem festinandam. Vespere copiose edunt atque cerevisiae copiam potant insignem, ut ventriculus restauretur. 1)

Doct. AUBERT nobiscum communicat, Abassinos, quando floribus Brayerae uti volunt, manipulum florum (circiter 16—24 grammata) in pulverem reducere atque cum aqua aut cerevisia infundere aut melle involvere. Mane, jejunos, aegrotans hoc infusum una aut duabus dosibus assumit, usque ad noctem diaetam observat. Ut actio augeatur, hydromelle fermentato (Mez, quod vi cathartica non gaudet) utuntur. 2)

PRUNER testatur, sese semper medicamentum methodo abassinica adhibuisse. Aegrotus vespere jusculum crassum, e pane confectum, aut oryzam assumit. Crastino die, mane drachmas VI ad unciam I florum, ab omnibus caulibus diligenter mundatorum, in pulverem subtilissimum reductorum et cum aquae libra mechanice mixtorum, assumit. Necessae est ut

---

1) Relation Historique, II, 2 pag. 364.

2) Memoires de l'Acad. Royale de Medicine, Tom IX pag. 693.

uno quasi haustu quantitatem illam potet et deinde ambulet. Quando vermis totus prima curatione non expelleretur, PRUNER, aliquot diebus post aut Mercurium dulcem cum oleo Ricini, aut flores Brayerae, dosi minori, iterum porrigebat, eoque modo vulgo propositum consecutus est. In regno Shoa, monente PRUNER, folia, secure caesa, per 5 horas cum aqua frigida infunduntur; pro re nata, aut colaturam, praecipue post coenam copiosam, ob vim ejus catharticam bibunt, aut pulpa florum, quasi olere, utuntur. 1)

FERRET et GALLINIER hac de re eadem, quae ROCHET D'HÉRICOURT, nobis tradunt.

JOHNSTON refert, incolas Abassinae australis quovis mense Brayera uti; non solum floribus, vero etiam seminibus immaturis ad remedium praeparandum utuntur. Paniculas florum eo tempore colligunt, quo fructus ad certum quemdam evolutionis pervenit gradum, dum semina adhuc immatura sunt atque flores parvi, maxima pro parte immutati sunt. Paniculae collectae, solis calore exsiccatae, in amphora absconduntur donec usus illarum requiritur, quem JOHNSTON sequenti descripsit modo; «Will man das Mittel anwenden, so wird das Kosso auf der Handmühle zu sehr feinem Pulver zermahlen, nachdem es vorher auf einen kleinen Strohmatten, auf die man, sei es aus Aberglauben oder aus andern Gründen einige Stücke Kohle gelegt hatte, nochmals an der Sonne wohl ausgetrocknet worden war. Man nimmt nun das grösste Trinkhorn, mischt das Pulver mit beinahe einer Pinte Was-

---

1) Krankheiten des Orients, pag. 246.



ser und fügt, wenn man Honig hat, einen grossen Löffel Honig hinzu. Wenn alles fertig ist, so wird ein entblösstes Schwert flach auf den Boden gelegt, auf dem der Patient steht. Der Krankenwärter nimmt dann zwei Stücke Holz und fasst mit denselben, indem er sich ihrer wie einer Zange bedient, ein kleines Stück glühende Kohle, und führt dieses dreimalen um den Rand des Gefässes herum, indem er ein Gebet murmelt. Wann er hiemit zu Ende gekommen, so löscht er die Kohle in der Arznei aus, welche nun sogleich vom Kranken ausgetrunken wird, der während der ganzen vorausgegangenen Prozedur die sonderbarsten Grimassen geschnitten hatte, welche seinen Ekel vor dem Tranke zeigten.» 1)

Monente SCHIMPERO, flores, tam masculi quam foeminei, (flores foeminei ad aperturam parati attamen efficacissime agerent), solis calore exsiccantur et a foliis et ligno mundantur; manipulus 1 vel 2 horum, in farinam subtilissimam reducti, cum aquae frigidae haustu miscentur. Mixture illa statim ut assumatur necesse est, ne medicamentum fermentationem subeat et emesin producat. Farina Brayerae praeparata, quando statim ea uti nolunt, cum aqua pinsitur fermenti ad instar. Hac sub forma, remedium per 1 vel 2 dies conservari potest cum viribus medicatis et non in fermentationem abiens. 2)

R. KIRTS, dosin Brayerae, in Abassinia usitatam, ad 6 vel 8

1) MEYER AHRENS, pag. 50.

2) MEYER AHRENS, s. 55.

drachmas statuit, pro pulveris qualitate et viribus aegrotantis. Jejune, cum aquae cyatho assumitur, nec diu mixtura sibi relinquatur necesse est, ne vis medicata immineat. Durante remedii actione a cibis sese absteineat aeger, vespertino tempore cibos aromatis conspersis utatur (Wotz. Dillee) atque hydromel fermentatum aut cerevisiam bibat aegrotans. Quum 5 vel 6 horis post administrationem alvus non secuta est, ad actionem remedii augendam, cibos copiosos, aromaticos, assumere debet aegrotus. 1)

Non semper floribus Brayerae, absque ulla additione, Abassini utuntur, frequenter vero alia addunt medicamenta, praecipue cathartica. PRUNER illorum sequentia commemorat. 2) (Quae de hisce refert, amicum SCHIMPERUM sibi tradidisse communicat, qui deinde medicamenta illa cum aliis, addita dosi in originali, illi donavit. PRUNER haec omnia ad clar. MARTIUM misit, qui illorum descriptionem fusam edidit 3), qua descriptione, in diversis libris annalibus quae occurrit, hic quoad necesse est, usus sum.)

1o. FOLIA HANUKDUK (PRUNER). HENDUK NEDUK (secundum societatem cui nomen Würtemburgs Reiseverein), a specie Euphorbiae proveniunt. Intense agunt; dosis est exigua scil. 15 granorum.

2o. RADIX TERNACHA, a Verbasco Ternacha (HOCHST, Cl. 5,

1) FRORIEPS Notizen 1845.

2) Krankheiten des Orients, pag. 248.

3) HAAXMAN pag. 323 et seq. Chem. Pharmac. Centralblatt. 1851. s. 618.

ord. 1, Fam. Scrophularinearum). Radix drasticum sistit medicamentum; dosis 70 granorum.

5°. RADIX BOTTO, remedium drasticum, quo etiam in Siphylitide utuntur.

4°. HERBA MADDERE (MATTEREI, BUCHNER, PRUNER, ANFAR in lingua Amharica) a Buddleia Polystacha provenit, (FRES. Cl. 4, ord. 1, Fam. Scrophularinearum); drasticum, cujus dosis 15 granorum est.

5°. FOLIA AULE (in lingua Tigre) WOIRA in lingua Amharica), ab Olea Chrysopyhylla (LAM. Cl. 2, ord. 1. Fam. Oleacearum) interdum tanquam anthelminticum purgans adhibentur. Vomitus frequenter producit ita ut pauca tantum folia floribus Brayerae immisceantur. Dosis uncia I. drachmae II. scrupuli II.

6°. CORTEX TAMBUCH, a Rottlera Schimperii (HOCHST. et STEUDEL Cl. 21, Ordo 6, Fam. Euphorbiacearum); stratum corticis internum arboris foemineae adhibetur. Dosis 18 granorum.

7°. RADIX ADANDASCH (ATTANTASCH, PRUNER), ab Euphorbia depauperata, (HOCHST Cl. 21, Sect. 1, vel. Cl. 2. Ord. 5, Fam. Euphorbiacearum), catharticum est validum; dosis 57 granorum. Dosis major lethales ederet effectus.

8°. CAPSULAE SCHEBTI, (SHEBTI, PRUNER, SCHIPTS, V. KATTE, SEPTS, RÜPPEL, ANDOT in lingua Amharica,) a Phytolacca dodecandra (L'HÉRIT) aut Phytolacca abyssinica (HOFFMAN Cl. 6, ord. 6, Fam. Rivinacearum); iis in Abassinia loco saponis et ob vim catharticam utuntur. Dosis, capsulae 7, quarum pondus 9 granorum est. Monente Doct. WALPERS remedium in Taeniam

praebent efficacius quam flores Brayerae, quod Berolini, apud pharmacopolam SIMON aequo praetio habendum est. 1)

9°. FRUCTUS SCHIMPAPA, a planta quadam incognita.

10°. HERBA HAFAPALU (AREGRESA in lingua Amharica) a Bryonia scrobiculata (NOCHST. Cl. 21, ord. 1, Fam. Cucurbitacearum). Folia cum seminibus Malvae et Lini teruntur atque vi sedante gaudent.

Monente SCHIMPERO Malvacearum radices frequenter floribus Brayerae admiscentur, ut sensus ingratus in faucibus, post remedii usum qui vulgo percipitur, diminuatur. VAUGHAN nobis tradit, Abassinos, flores Brayerae cum aqua, qua antea saepius fructus Tamarindorum infusi erant, miscere.

De Taeniarum casubus, in Abassinia observatis, Doct. modo PETIT et ROCHET D'HÉRICOURT monuerunt. Doct. PETIT bis, flores Brayerae, addito fermento, assumsit; saporem hujus remedii ingrattissimum dicit; post usum dolores colicos non percipiebat, bis ante meridiem alvum posuit atque paullulum edit. Mox cephalalgia vehemens cum hebetudinis specie singulari et nisu in syncopen accedebant. Duabus horis post coenam, in alvo vermis aderat. Alvum istam quum poneret, sudores copiosi aderant; lassitudine per reliquum diem laboraverat universali; cephalalgia vero abierat. Crastino die alvus constipata erat, licet tenesmi ad alvum frequentes adessent. Duobus mensibus post, iterum floribus Brayerae usus est.

---

1) SCHMIDT's Jahrbücher 1852, Bd. 76 s. 307.



Ut prima vice, sic et nunc nausea, debilitatis sensus et sudores aderant et in alvo secunda,  $5\frac{1}{2}$  horis post remedii usum posita, absque doloribus colicis aut labore, vermibus fragmentum, 40 fere pedes longum, alvo deposuit. Florum Brayerae gustus horribilis, Doct. PETIT adeo fastidio affectus, ut duobus mensibus post, aliud anthelminticum, scil. Metchametcho, (quod Orchideae species 1) praeberet), cum ritibus indigenis solitis 2), assumserit. Duobus mensibus post, Doct. PETIT alio denuo usus est anthelmintico, quod flores cuiusdam plantae praeberent, qui eodem modo quo flores Brayerae praeparantur; nomen attamen nobis non communicavit. Ex usu horum florum valde aegrotavit: feбри, per 3 dies protracta, correptus est.

Observatio ista ultima Doct. PETIT metum anthelminticorum abassinicorum iniecit, ita ut deinde et ipse et socii solummodo decocto ex radice Punicae Granati recenti parato, ute-

---

1) PETIT verosimile plantam istam perverse nuncupavit. Synonyma sunt: RAD. HABBE TSCHOKKO, DSCHOGGO, in lingua Tigre HABADJAGO. Remedium provenire videtur ab Oxalide anthelmintica, secundum ALEX. BRAUN Cl. 10, Ord. 5, e Fam. Oxalidearum. Monente SCHIMPERO, dosis est 15 dr.; remedium in Taeniam est efficacissimum, quod vi cathartica caret et vermem intra 2—3 dies necat.

2) PETIT hac de re tradit «mais a cette administration toute naturelle se joint une ceremonie superstitieuse, dont mes domestiques ne me firent pas grace et a laquelle je me prêtai pour leur faire plaisir. On lava soigneusement la pierre sur laquelle le metchametcho avait été ecrasé; on alluma de la paille, on fit avec les cendres une croix sur la pierre, puis on promena autour de la chambre, en la faisant passer sous mon lit, d'autre paille également allumée, que pour terminer la scène, on me fit eteindre avec les pieds.»

rentur. Usus remedii istius, licet efficacissimi, in Abassinia non adeo frequens est quam florum Brayerae. 1)

ROCHET D'HÉRICOURT nobis tradit, tres suos famulos sese conjunxisse ut una, sicut est mos, floribus Brayerae uterentur, atque singulos vermes deposuisse retento autem capite. Quinque horis, postquam dosin primam assumserant et evomuerant, potionem alteram, ex grammatibus 12 ejusdem medicamenti paratam, eos potare jussit. Duo deinde ter alvum posuerunt; capita vermium in alvo secunda aderant. Tertius vero quater alvum posuit; in alvo tertia caput vermum conspicere licuit. 2)

De actione florum Brayerae medicata in Abassinia viatores diversi quam maxime dissentiunt, quum unus illam ut salutarem laudet, alter vero eam sanitati nocivam et perniciosam dicat. BRUCE contendit Abassinos, sanitate si frui velint integra, floribus Brayerae carere non posse. Quum remedium vero istud in aliis regionibus non occurrat, Abassini raro itinera suscipiunt, quae si susceperunt, mors praecox instat. Monente vener. religioso, de quo jam supra, vermum, inter 4 et 24 horas post remedii administrationem, absque ullis molestiis expelli solet.

COMBES et TAMSIER, flores Brayerae modo remedium palliativum constituere existimant, quo vermum pars talis expel-

1) Relation historique II. 2. pag. 364.

2) 1er Voyage pag. 308.

litur, ut aegrotus fiat nec amplius vexare possit. Aliquo tempore post remedium adhibitum, quum vermis vires recuperavit, illud tenaciter iterari debet, nec vermis iste singularis umquam totus expellitur. Morbus iste, periculi qui est expers, Abassinos cogit ut sese ob duos menses purgent. Postquam Doct. BRAYERI observationes retulerunt, dicunt: quando medicamentum illud adeo efficax agit, ut ex casu communicato suspicere licet, et quando theoriam SPIGELII sequimur, verme semel expulso, non eandem vermium speciem in organismo occurrere, exinde redundaret, Abassinos, qui floribus Brayerae usi sunt, in posterum semper a verme liberos manere, quod vero nequaquam observatur. Medici Europaei, qui Cairo degebant, numquam floribus Brayerae Taeniam totam expellere potuerunt. 1) VON KATTE ejusdem sententiae esse videtur cujus COMBES et TAMISIER, quum nobis communicat, remedia in Taeniam radicalia, in Abassinia ignota esse. Medicamentum commemorat efficacissimum, palliativum, cujus usu, ob duos menses instituto, Taeniae fragmenta majora expelluntur et sic doloribus praecavetur. Arbor, quae solummodo in Abassinia australi occurreret, hoc remedium praeberet. VON KATTE arborem numquam vidit, corticis vero exsiccati pulverem, quoad habitum externum et gustum pulveri Rhei simillimum describit. Quodnam medicamentum v. KATTE hic spectet, dubium est. Verosimile corticem Brayerae, cujus nonnulli

---

1) Voyage en Abyssinie, Tom. I pag.275.



mentionem fecerunt 1), vel corticem Musenna, licet raro in Abassinia eo utantur. 2)

RÜPPEL etiam monet liberationem a Taenia, floribus Brayerae productam, modo esse temporariam, eorumque usu sanationem radicalem non effici. Etiam Doct. BEKE tradit flores Brayerae in duos menses modo auxilium afferre; hisce elapsis, iterari debent. E contra ROCHET D'HERICOURT vim florum Brayerae medicatam radicalem existimat. Quodsi vero sanatio radicalis ex illorum usu non secuta est, hoc non remedio, vero dosi nimis parvae aut administrandi methodo perversae, tribuendum esse statuit.

AUBERT actionem florum Brayerae certam atque sanitati innocuam habet, quando illorum dosis solita, 16—24 grammatum, adhibetur. Tunc vix sensus levior ponderis in ventriculo percipitur. In hominibus irritabilioribus attamen dolores colici ex usu interdum oriuntur, sic et dolores ventriculi vehementes et vomitus, praecipue quando irritatio ventriculi aut intestinorum, sive Taenia, aliave sive causa producta, aderat. Hanc ob causam ante administrationem, de statu sano aut morbo organorum digestionis inservientium, sedulo inquiramus necesse est. Flores Brayerae vi cathartica non gaudent, ita ut ex ea proprietates ad Taeniam expellendam repeti nequeant. Couso vermem non necat eodem modo quo cortex radice Granatorum, qui scilicet vermibus convulsiones excitat, verum vitam ejus ita extinguit, ut vermibus agglom-

1) Vide pag. 52.

2) A. VON KATTE, Reise in Abyssinien.



meratus, interdum in plures partes divisus, verosimile in putredinem abiens (quum facillime frangatur) expellitur. Abassini, monente AUBERT, numquam dosi tali utuntur, quae vermem necare valet. Quod si id in proposito habebant, 3 vel 4 diebus post, dosin iterare deberent. Quum illos rogaret, cur Taeniam semper servarent atque numquam necarent? viri expertiores illi respondebant, hunc in finem aut dosis augeri, aut usus saepius repeti debere, quibus in casibus, morbi alii, insanabiles, illis imminerent. Itaque tutius erat Taeniam conservare, eoque magis quum semper rediret et morbum praetereuntem, non in malum tendentem causaret. Verosimile, sic ait AUBERT, doses majores, saepiusve repetitae, absque dubio male administratae, quum Taeniam necarent, Gastritidis aut Gastro-enteritidis in causis fuerunt. Morbi isti in Abassinia lethales sunt, quum incolae, diaeta abhorrentes, omnes morbos, hydromelle fermentato, nutrimentis, exorcismis, etc., superare conentur. AUBERT dum in Abassinia degebat, numquam morbos organorum digestionis chronicos observavit, sed dicit, quum Abassini semper eodem utantur nutrimento, quod Taeniarum verosimilis est causa, atque eo modo causam occasionalem non superent, necesse esse Taeniam mox redire. 1)

Etiam ex relatis Doct. PETIT, Abassini, ex praesudicio, ei Polonorum quoad plicam simillimo, numquam sese a Taenia prorsus liberare volunt, sed semper curationem palliativam instituunt, talem scil. assumantes dosin, qua

1) Memoires de l'Acad. royale de Medicine, Tom IX pag. 690.

vermis pro parte quidem, numquam vero totus expellatur. Verosimile, ait, omnes conatus, in liberationem hujus vermis totalem tendentes, frustros esse et periculo, quum dosin assumerent talem, qua propositum attingerent sese exponere, viderunt. PETIT deinde nobis tradit vermem vulgo indivisum, agglomeratum, expelli, quum antea motus vehementes, non dolorifici, in abdomine percepti erant. Crastino die atque perendie, fames vehemens et sitis quam maxime intensa aderant. Sapor medicamenti ingrattissimus est, praecipue quum amarus et sui generis sit et per horam et dimidiam post usum perduret, etsi gargarismata, saepius repetita, instituta sint; ptyalismum deinde copiosum producit. Dantur qui flores Brayerae ferre nequeunt. Saepius evomuntur atque in causa sunt lassitudinis universalis, Melancholiae et Cephalalgiae, ad postridiam, imo ad diem perendinum, protractae. 1) Doct. PRUNER, 2) qui, dum in Aegypto degebat, saepius flores Brayerae administravit, illorum laudes valde celebrat dicens, illos, teste experientia sua longa et extensa, panaceam in vermes efficacissimam constituere posse. Quando vermis non dosi prima expellitur,

1) Relation historique II 2 pag. 364.

2) Quod flores Brayerae, aliaque anthelmintica apud Doct. PETIT in offensa sunt, verosimile e causis propriis repeti debet. LEFEBVRE, qui cum a febris perniciose reconvalescentem vidit, ait (Tom I. 2. 238) «Je le retrouvai en meilleure santé qu'à mon depart. Malheureusement il y avait chez M. PETIT une complication de maladies fort inquiétantes. Le tenia le tourmentait beaucoup et je redoutais pour lui l'effet des médicaments, qu'il serait obligé de prendre pour s'en débarrasser.»

flores Kousso reagens in Taeniam constituunt numquam fallax. Tali in casu, pro rerum conditione, aut Mercurium dulcem cum oleo Ricini porrigebat, aut medicamentum, nonnullis diebus post, minori dosi iterum administrabat. Modificatione ista exigua methodi abassinicae semper hanc intestinorum Hydrum superavit. Numquam Aetheris, Polypodii, corticis radices Granatorum atque remediorum compositorum, quibus per primos annos, quos in Oriente degit, utebatur, tales effectus, quales florum Brayerae observavit, ita ut, loco medicamentorum Europaeorum in Taeniam, mox abassinicis usus sit. PRUNER saporem florum Brayerae amarum, ingratum et paullulum aerem esse dicit. Horis 2—5 post usum, alvi primae, serosae, deponuntur; in 5<sup>a</sup> aut 6<sup>a</sup>, parasita agglomerata, raro cum collo et capite, adest. Usus remedii, borborygmos, saepius aegritudinem et dolores in abdomine adfert. Quando remedii actio finita est, caveat aegrotus copiam ciborum nimiam, sed nutrimenta blanda accipiat necesse est. In Abassinia remedii usus protractus (nonnulli ob mensem secundum eo utuntur) requiritur, quum parasita tota fere numquam expellatur et Abassini iisdem semper sub conditionibus vitam agant, quae antea vermibus origini faverant. Non mirum igitur, quin usus protractus materiae drasticae, amarae, acris, quae insuper molecularum forma verosimile mechanice agit, intestinis noceat, quod plures viatores confirmant. Multi qui, Taenia laborantes, vitam tamen protraherent, ex remedii abusu moriuntur.

Ab anno vero 1848, Doct. PRUNER, loco florum Brayerae, quibus in centum casibus et ultra, bono cum eventu



usus est, corticem Musenna administravit, quem D'ABBADIE, viator quidam, qui per longum tempus in Abassinia degit, illi praebeuit. Annis 1848—1850, 19 Taenia aegrotantibus remedium illud novum, felici cum eventu, administravit, floribus Brayerae praeferendum, quum parasitam necet absque diarrhoea provocata et adjuvantibus non egeat, quibus floribus Brayerae interdum opus est. 1)

D'ABBADIE, anno 1852, Academiae Scientiarum, quae est Parisiis, hujus medicamenti relationem, additis 5 dosibus, misit, in qua flores Brayerae valde vituperat, quum de illis dicat «C'est un purgatif drastique, qui fatigue l'estomac et occasionne souvent des nausées si fortes, que le patient ne peut pas le digérer. D'ailleurs il doit être réitéré tous les deux mois et n'effectue jamais de guérison radicale. En outre j'ai vu l'usage du Kouso produire des dysenteries toujours opiniâtres et quelquefois mortelles.» Le Musenna est exempt de tous ces inconveniens. 2)

FERRET et GALLINIER nobis communicant, semihora post usum florum Brayerae, eorum actio in intestinis percipi. Corpus universum sensu corripitur ingrato; ter, brevibus cum intervallis, alvus ponitur; in alvo tertia, vermis agglomeratus adest, at vero ejus caput ut plurimum deest. Etiam et illi opinantur, dosi statim repetita, fragmenta quae vermis in corpore remanserant expelli et ita curam institui radicalem. 5)

1) Gazette Medicale de Paris 1851. pag. 822.

2) Journal de Medicine, de Chirurgie et de Pharmacologie, Bruxelles 1852 pag. 87.

3) MEYER AHRENS, pag. 50.



JOHNSTON iudicium de Brayera fert omnium pessimum. Monente illo, flores Brayerae cito et certe, sed vehementer agunt, quum famulorum prostrationem, post usum illorum, respiceret. Abortum saepius matri lethalem provocarent et fuerunt, qui, eodem die, quo dosi hujus remedii debito majori usi fuerant, ex eo mortui sunt. Mirum itaque illi videbatur, remedium istud ita in Europa laudari, ut materiae medicae locupletationem insignem haberent. JOHNSTON vero existimat medicamentum numquam in materiam medicam quamdam Europeam recipi posse, quum hominum cultorum ventriculi, dosin ad effectum salutarem requisitam ferre nequeant. In Abassinia (ait), remedium istud modo tolerant; medicamentum si aliud importarent, quod vi eadem in Taeniam medicata gaudet, statim sese a floribus Brayerae absterent. 1).

Monente Doct. KIRTS, usus florum Brayerae frequens ac immoderatus prolapsum ani frequenter producit. Ex usu remedii istius virium exhaustio sequitur summa; in omni vero conditione, quando adhibetur, mortem inducere potest. Usum protractum medicamenti istius drastici, etsi ad sanitatem servandam requiratur, vitae durationem abbreviare necesse est. Incolae regni Shoae ad aetatem propectam non perveniunt, ita ut senes raro conspiciere ibi liceat. 2).

Secundum SCHIMPER, ex usu Brayerae in faucibus ac in-

---

1) MEYER AHRENS, pag. 51.

2) A. COHEN. Nieuw practisch tijdschrift voor de geneeskunde in al haren omvang. 1851. pag. 670 et FROR. Notizen, 1845 pag. 174. 175.

testino recto sensus constrictionis oritur, qui potionibus emollientibus tollitur. Remedium cito agit, verosimile in Europaeis citius quam in Abassinis; virium lapsus, ex doloribus verme productis ortum, brevi restaurat. Taeniam non semper totam expellit. Sitim intensam producit, quam Abassini quantitate cerevisiae aut hydromellis enormi extinguunt. 1).

Non difficile esset, hic et illic, harum sententias nonnullas reprobare, sed mihi non in animo est unam illarum refutare, quum, me iudice, non dantur medicamenta, quae, methodo perversa, absque ullius contraindicationis respectu, determinatis temporibus adhibita, salutare in organismo edere possunt effectus. Non intelligo, quum Abassini semper iisdem conditionibus et momentis vitam degant, quae vermium origini aut evolutioni favent atque ita Taeniarum Endemiae causa proxima non tollatur, quomodo tali in rerum conditione, remedii actionem radicalem expectare liceret.

1) Pharmac. Centralblatt, 1848, pag. 925—27.

## C A P U T V.

### ENARRANTUR TAENIARUM CASUS IN EUROPA IN QUIBUS FLORES BRAYERAE ADMINISTRATI SUNT.

Absolutis iis, quae pertinent ad administrationem nostri medicaminis in Abassinia, sequitur ex ordine proposito ut videamus de ejus usu medico in Europa. Liceat mihi itaque observationes cum publico communicare, a Doct. BRAYERO factas, nec non eas enarrare, quas deinceps instituerunt medici Germani, Gallofranci, Angli, Helveti, Itali et Neêrlandi.

Quoad BRAYERI observationes: (nam ille primus fuit, qui in Europa hoc anthelminticum novum administravit)<sup>1)</sup>, homo de quo jam pag. 10 mentionem fecimus, postquam medicaminis doseos dimidium assumserat, ob odorem et saporem ingratum, valde aegrotavit. Florum Brayerae drachmae quinque cum aquae unciis 12 per noctem infundebantur. Hujus infusi partem dimidiam, mane, jejunus, partem alteram vero, semihora post assumpsit et deinde lectum petivit. Dolores colici oriebantur vehementes, et post alvum crebram vermem totum deposuit. Vermis mortuus erat; ejus pars crassior ultimo loco expellebatur. Postquam alvum mucosam

1) MEYER AHRENS, pag. 28.



aliquoties deposuerat, omnia symptomata morbi evanuerant.

Quatuor annis post, Doct. BRAYER hominem iterum vidit. Per illud tempus, symptomata nulla, vermīs praesentiam indicantia, apparuerant, atque iam ex habitu externo, illum sanitate frui optima, satis superque constabat. Per quatuor sequentes annos, quos Doct. BRAYER deinde Constantinopoli degit, nulla vermīs symptomata apud hominem observare potuit.

Alio in casu Doct. BRAYER ipse, Constantinopoli, flores Brayerae administravit apud foeminam 50 annorum, constitutionis robustae, temperamenti lymphatici, quae per septem jam annos vermīs fragmenta plura deposuerat, et brevi ante florum Brayerae administrationem, fragmenta duo, quorum unum quatuor pedes, alterum vero sex pedes erat longum, evacuaverat. Flores Brayerae, quos adhibuit, ab aegroto supra commemorato accepit, qui ea conservaverat, quae trium dosium ab Armeno acceptarum supererant, et non sine difficultate eorum dimidium, scil. tres drachmas cum dimidia, BRAYERO dedit. 1)

Quantitas illa, in pulverem reducta, per 12 horas cum aquae frigidae drachmis 70 macerabantur; deinde, quum mixtura nimis spissa esset, aquae drachmas 20 addidit. BRAYER ipse cochlear mixturae, bene agitatae, assumsit; pulverem remanentem, secundum praescriptum, manducavit et deglutivit. Saporem haud ingratum et saporī infusi florum Tiliae fortioris, simillimum dicit. Mane, hora nona, aegrota

---

1) MEYER AHRENS, pag. 56.



dimidium mixturae agitatae assumsit; sapor ei ingratus non erat ac inde non aegrotavit. Post semihoram, partem alteram assumsit, os gargarismatibus ex aqua depuravit atque, medico inscio, nonnullis usa est citreis conditis. Hora 9, 40 minutis, in regione umbilicali dolores percepit leviores; hora 10 paullisper male se habuit aegra; gastralgia laboravit. Ab hora 10 ad 12 cum dimidia usque, motus peristalticos auctos et horripilationes leviores, quas ructus et flatu multi comitabantur, percepit. Hoc tempore, vermis fragmentum, tres pollices longum et post horae quadrantem, ejusdem longitudinis fragmentum deposuit. Hora 3, fragmentum 5 pedes cum dimidio longum, quod ab una parte sese movebat, apparuit. Aegrotata, prope anum, in intestino recto, corpus quoddam ponderosum sentiebat, quod expellere non potuit. Adhibita olei Ricini uncia 1, dolores vagi et ructus oriebantur. Hora 4 cum dimidia, eandem olei Ricini dosin accepit, quam dolores colici, cum doloribus in regione mesogastrica, secuti sunt. Post usum decocti Oryzae aquosi, dolores pro tempore cessarunt, sed redierunt. Hora 6 cum dimidia, vermis partem, 15 pedes longam, absque capite, deposuit. Levamen hoc aegrotatae attulit insigne; dolores colici pergebant, sensus vero pressionis in intestino recto evanuerat. Medicamento sedante administrato, dolores colici cessaverunt. Conditio foeminae universalis valde emendata erat, sed initio anni sequentis, fragmenta vermis iterum deposuit. Flores Brayerae non amplius sibi comparare potuit. Doct. BRAYER, et foemina alia medicamenta assumere volebat.

Post Doct. BRAYER medici Germani, flores Brayerae, primi adhibuerunt; quos inter Doct. PLEININGER, Stuttgardiensis, nominandus est, qui 1<sup>o</sup>. foeminae 50 fere annorum, constitutionis debilis, quae jam antea Extracto Filicis Maris usa fuit, decoctum, e florum Brayerae uncia I $\beta$  cum aquae unciis 18 ad colaturam unciarum 8 paratum, (cui mel ad saporem corrigendum additum erat), administravit. Absque ulla praeparatione, decoctum illud, jejuna et quasi uno haustu bibit. Per reliquum diem saepius alvum posuit, fragmenta vermis plura et massas mucosas continentem. Aegrotā ex medicamento usu molestias fere nullas percepit. Vermis fragmenta majora non amplius reperta est et deinde de illo nil percepit. Retulit 2<sup>o</sup>. casum sequentem: Vir robustus, 24 annorum, in peripneumonia acuta, Tartari emetici dosibus majoribus qui usus erat, Taeniae fragmenta plura, majora, deposuit. Antea molestias, a parasita ista ortas, nullas percepit. Mense Julii anni 1854, quum fragmenta iterum apparuissent, decocto, eodem modo ac supra parato et administrato, optimo cum eventu, usus est. Dolendum at vero est, illum, quum alvum, die administrationis, non deposuisset, deinde alvi naturam non esse perscrutatum. Attamen monente PLEININGER, vermis ne vestigium deinceps apparuit.

Doct. KURR, remedium quater administravit. In uno casu, vermis, capite praeditus, expulsus est; alio in casu, caput verosimile remansit et morbus deinde iterum apparuit.

Duobus in casibus, remedium nullos edidit effectus.

In casu, quo RIECKE floribus Brayerae usus est, medicamen molestias leviores excitavit, vermis vero ne fragmentum quidem expulsum est. 1)

Clar. VON GIETL, Monachi qui est, a Doct. PRUNER quantitatem florum Brayerae insignem accepit (vid. diss. pag. 49) ejus collegis, tum Monachi quam aliis in locis qui erant, partes dedit. Illorum observationes cum experientia Clar. VON GIETL congruunt, qui per 5 annos, multos, qui Taenia Solio excruciatu erant, sanavit. Planta per 5 annos vim medicatam integram servaverat. VON GIETL, Brayeram administrare si vellet, omnes plantae partes, excepto radice, in pulverem reduci curabat. Pulveris istius drachmam dimidiam aut unam aegrotis omni semihora aut hora porrexit, donec 4—6—8 drachmae acceptae erant. Ad alvi depositionem debitam, quando intra 3—4 horas non insecuta erat, olei Ricini unciam  $\beta$ — $I\beta$  administravit. Sub curatione diacetam tenuem observabat aeger. Apud aegrotantium partem majorem, vermis intra 18—24 horas expulsus est; duo, ob pulveris volumen magnum, vomitu corripiebantur; caeteri, nec post nec ante usum, ulla perceperunt molestias.

Doct. VON BRESLAU, flores Brayerae etiam saepius cum effectu salutari administravit. Diarrhoeam ex usu oriri sed leviolem, absque doloribus, observavit.

Clar. ROTHMUND, Monachensis, Botriocephalum latum in-

1) RIECKE, Neuere Arzneimittel, 4e Aufl. 1842, S. 101—103. MEYER AHRENS, pag. 58.



tegrum, intra octo horas, floribus Brayerae expulit. Medici, Monachi qui erant, administrandi rationem Clar. VON GIETL sequebantur, aut electuarium ex floribus Brayerae uncia dimidia cum melle despumato confici curabant, cujus dimidium, mane et vespere assumi jubebant. Ex observationibus tum in Nosocomiis, cum in praxi civili Monachi institutis, Brayerae actio adeo praeclara et certa patuit, ut in pharmacopoeam Bavaricam reciperetur. 1)

Berolini, etiam ex observationibus pluribus, felici eventu coronatis, Brayerae actio praeclara apparuit. 2) Item Viennae Clar. SIGMUND, flores Brayerae ter cum effectu salutari administravit. Remedii nostri actionem vero non benignam habet, quum interdum dolores colicos et vomitum valde molestum producat. 3)

Monente Doct. WOLFF, Brayerae administratio semper in remedii laudes tendit. Ad saporem corrigendum et vomitum praecavendum, electuarium ex pulveris floribus Brayerae drachmis 5, cum mellis despumati unciis 5 paravit; id, duabus in dosibus, cum horae quadrante intermedio, porrectum, semper efficax fuit. Extractum, a SIMON Berolini paratum (vid. diss. pag. 54) pilularum sub forma duobus in casibus datum, nil effecit. 4)

In societate medica, quae est in loco cui nomen Kirchheim, 16 communicati sunt casus, in quibus flores Brayerae se-

1) MEYER AHRENS, pag. 88. SEEGER, Die Bandwürmer, etc. pag. 118.

2) Deutsche Klinik, 1850 pag. 524.

3) Oesterreich. Zeitschrift für Pharmacie, VIer Jahrgang, No. 3.

4) SCHMIDT's Jahrbücher, 1852, Bd. 76, S. 307.

quenti cum effectu administrati erant. In 5, vermis cum capite, expulsus est; in 5 fragmenta majora, in 5 aliis, fragmenta minora expellebantur. In 5 casibus nil expulsus est. 1)

Anno 1850, Clar. ALBERS, Bonnae qui est, extractum Filicis Maris aethereum cum floribus Brayerae comparavit. Comparationis hujus argumenta praebuerunt observationes Doct. BUDD, de floribus Brayerae nec non observationes quas Clar. ALBERS cum extracto Filicis Maris aethereo instituit, quo 100 in casibus, 98<sup>es</sup> vermis statim expellebatur. Medicamentorum istorum actio eo differret, quod extractum Filicis Maris aethereum vermem ut expellat, dosibus majoribus et semper augendis administrari debet; flores Brayerae e contra, etiam dosi minori, vermem aequae certe necant ac majori, teste casu a Doct. BUDD observato, in quo aegroti, remedii dimidium evomuit. Quod nisi in recidivum, ab extracto Filicis Maris aethereo non semper extinguitur, vero quidem floribus Brayerae. Recidivum at vero etiam usum florum Brayerae insequi posse, quod ALBERS adhuc suspicabatur, quum post curam institutam, 3—4 menses nondum praeterlapsi essent, ex historiis morbi deinceps commemorandis, satis superque patebit. Quod extractum Filicis Maris floribus Brayerae ob saporem magis gratum praevaleret, me iudice non magni est momenti, quum 1<sup>o</sup>, extracti Filicis Maris aetherei, ad actionem debitam et effectus optatos consequendos, aegroti talem copiam administrare debeamus ut exinde nausea oriatur et 2<sup>o</sup>. pro administrandi florum

1) SCHMIDT's Jahrbücher, 1853, Bd. 77, pag 174.

Brayerae ratione adhuc usitata, aliam magis commodam et gratam substituere verosimiliter possemus. BUDD, recentiori tempore, extractum Filicis maris aethereum ob praetium ejus vilius praetulisse videtur; sed florum Brayerae praetium nimium, nunc non amplius impedimentum sistit. 1)

Quoad Gallofrancos: monente Doct. FRANKL, ex cujusvis remedii novi commendatione, diffidentia jam de eo oritur, hinc, quamvis jam per 20—25 annos Florum Brayerae laudes celebraverant, indagationes accuratiores et fusiores in illorum virtutem medicatam, in Gallia non instituerunt, priusquam medicus et pharmacopola quidam, Parisiis, omnia illa moverant, quibus opus est quominus medici doctrina insignes, qui ibi Nosocomiis majoribus praesunt, observationis novae e praxi sola petitae, curam gererent. Attamen finis coronavit opus: Professores et annales, imo vero Academiae Scientiarum et Medicinae, testimonia praebuerunt, novae detectionis momentum probantia.

Doct. FRANKL ipse, Parisiis in Nosocomiis, complures observavit casus, in quibus flores Brayerae administrati erant. A diffidentia redux dicit, flores Brayerae in tali conditione intestinorum inflammatoria, in qua alia medicamenta diarrhoeam insignem, vomitum, imo vero morbos insanabiles relinquunt, tuto administrari posse, ob illorum in intestina actionem benignam, qua, nulla methodorum

1) SCHMIDT's Jahrbücher, 1850, Bd. 68 S. 46. Doct. A. COHEN. Nieuw Practisch Tijdschrift voor de Geneeskunde, 1850, pag. 681—88. 1851, pag. 672.



in Taeniam olim adhibitaram gauderet. An flores Brayerae, quos AUBERT aut ROCHET D'HÉRICOURT Parisios attulerunt, primi fuerint, qui ibi administrati sunt nec ne? monente Doct. FRANKL, dubii haud expers est, quum Doct. quidam DARTON, tam in praxi civili, quam in Nosocomio, cui nomen la Charité, remedio quodam in Taeniam usus sit, idque commendaverit, quod, quoad actionis celeritatem, securitatem et utilitatem, flores Brayerae adaequaret. In Nosocomio jam commemorato octo Taenia aegrotantes, singulos dosi unica, sanavit, ita ut Clar. LOUIS remedii DARTONII laudes publice celebraverit. Tunc temporis de Brayera jam saepius sermo fuit et haud improbable videtur, Doct. DARTON, remedium istud rarum, via illi tantum cognita, accepisse. Post DARTONII obitum, praeter collectionem Taeniarum admodum longarum memorabilem, nihil supererat, e quo remedii ab illo usitati naturam suspicari licebat. 4)

Primus, qui (secundum fontes quos mihi ad manus fuerunt, quorumque numerus, qui Galliam spectant, parvus est), flores Brayerae in Gallia administravit, Doct. fuit AUBERT, qui, dum in Abassinia more abassinico vitam degerebat, Taenia correptus erat. In patriam redux, vermem, licet per duos annos sanitati ejus non nocuisset, ope florum Brayerae, quos ex Abassinia importaverat et in pulverem reduci curaverat, necare statuit. Prima vice, per totum diem sese a cibus abstinuit et vespere florum Brayerae grammata 46,

---

1) Der Bandwurm und die radicale Heilkur durch den Kouso etc. (vid. pag. 24.)

cum melle, in oblati involuta, assumsit, dum cyathis nonnullis, vino albo impletis, loco hydromellis ab Abassinis ad actionem augendam usitati, usus est. Bene dormivit. Mane Sulphatis Magnesiaee unciam assumsit, atque Taeniam fere totam, retento vero capite, in plures partes divisam, 5 metra longam deposuit. AUBERT ex annulis colli vermii efficiebat, modo 2 centimetra remansisse, caput, ut saepius fieri solet, deinde alvo expulsum esse et sese a Taenia liberatum putabat. Tribus vero mensibus post fragmenta in alvo iterum conspiciebat et quum Taenia illi molestias nullas afferret, antequam illam necaret, effectum florum Brayerae cum melle observare voluit. Loco vini, aquam bibit, administrandi ratio caeterum eadem erat ac antea; noctem quietam degit. Crastino die alvum deponendi necessitas non urgebat; constipatio ejus potius aderat. Die sequenti in alvo prima et secunda, fragmenta Taeniae aderant multa. Caput vero iterum remansit, ita ut, duobus mensibus post, vermii fragmenta rursus in alvo apparerent. Tunc vermem necare atque dosin iterare constituit. Loco mellis, aqua utebatur; 20 grammata pulveris Koussou, cum poculis duobus aqua impletis infundebat. Mane illa, cum semihorae intervallo, assumsit et deinde labores suscepit. Interdum, licet gradu leviori, sensum ponderis in ventriculo percipiebat; versus meridiem alvum sine fragmentis posuit; vespere quantitatem ciborum solitam edit et crastino modo die, cum alvo, fragmentorum numerum insignem deposuit. Diebus 5 post, primo Sulphatis Magnesiaee unciam assumsit, ut intestina a sordibus in illis contentis mundaret, dein

infuso Koussou, eodem modo ac supra parato, duabus vicibus, cum horae spatio intermedio, usus est. Nunc sensum ponderis non percipiebat. Horis 4 post, Sulphatis Magnesia unciam denuo assumebat et in alvo prima, Taenia agglomerata, 15 centimetra longa, aderat. Ex alvo frequenti, qua vermis expellebatur, vermis ad collum fractus erat. Anno ultimo praeterito, AUBERT fragmenta non iterum observavit; ex quo certum fert iudicium, sese a Taenia liberatum esse. Monente illo, administrandi ratio potissimum sequenda esset, usus infusi 20 grammatum Koussou, quod catharticum levius antecedere et sequi oportet. Curatio ista iterata, semper altera vice effectus ederet optatos. 1)

ROCHET D'HÉRICOURT, (ab itinere primo quum redux esset, 1840—41) Parisiis, complures expulit Taenias administratione florum Brayerae, eo modo, de quo jam diss. pag. 81 sermo fuit. Ex iis, quae delegatij ex Academia Scientiarum, quae est Parisiis, de itinere secundo, quod suscepit ROCHET D'HÉRICOURT, retulerunt, quaeque in itineris istius descriptionem recepta sunt 2), Clar. SANDRAS, practicam medicam qui exercet in Nosocomio cui nomen Hôtel-Dieu, de florum Brayerae (quos ROCHET D'HÉRICOURT ei hunc in finem praebuit) administratione indagavit. Effectus praebuit salutare dum ex iis patuit, florum pulverem, rite ac dosi sufficienti adhibitum, lubenter assumi atque facillime ferri, minusque periculosum esse

1) Memoires de l'Academie royale de Medicine, Tom IX, pag. 694.

2) Second Voyage, pag. XLV. Extrait des comptes rendus des Séances de l'Academie, Tom XXII, pag. 798, Séance du lundi 18 Mai 1846. Conf. PHILIPPE Recueil des documents, etc. pag. 7.



atque praecipue efficacius agere, quam alia omnia medicamenta huc usque in Taeniam usitata. Actio remedii aliquot horis post usum insequabatur; deinde aegrotantibus cibis uti aque labores usitatos suscipere licebat. Clar. JUSSIEU relationi isti finem imponit, dum votum effert, ut medicamentum illud a pharmacopolis haberi possit et in Pharmacia recipiatur.

Mense Maji 1846, Doct. L. AUBERT, Academiae florum quantitatem sufficientem praebuit ut a magno medicorum numero et in Nosocomio Parisiis administrari possent. Clar. CHOMEL illis in Nosocomio, cui nomen Hôtel-Dieu, uti curavit, atque observationes sequentes, a viris doct. DELPECH et H. GUENEAU DE MUSSY, medicam praxin qui in Nosocomio profitentur, institutas, viris doct. LOISELEUR DES LONGCHAMPS et MERAT communicavit, qui earum in consessu Academiae Medicinae, die 25 Maji 1847, mentionem fecerunt. 1)

OBSERVATIO 4<sup>a</sup>. Foemina, 58 annorum, jam a juventute Taenia vexata, in vermem cortice radice Granatorum, radice Filicis Maris, aliis, usa fuit, quae omnia modo levamen temporarium attulerunt. In Nosocomio, cui nomen la Charité, ad methodum a ROCHET D'HERICOURT indicatam, 45 grammatibus Kouso usa est. Minutis 20 post administrationem, remedii partem tertiam evomuit. Horis 2 postea, quum actio non insecuta fuerit, illi, pocula duo, aqua Sedtlitsensi impleta, porrigebant. Horis 4 praeterlapsis, sine doloribus vehementioribus aut nausea, Taeniam agglomeratam depo-

1) PHILIPPE, Recueil, etc. pag. 8.

suit. Pars una 5 metra erat longa, fragmenta caetera longitudinem 2 metrorum constituebant. Eadem dosis aquae Sedtlitensis, crastino die porrecta, nil vermis expulit. Duobus diebus, postquam in Nosocomium recepta fuit, id reliquit.

OBSERVATIO 2<sup>a</sup>. Foemina quaedam, initio mensis Augusti, Taeniae fragmentum, 5—6 metra longum, deinde semper fragmenta minora deposuit. Die vicesimo ejusdem mensis, infuso, parato ex pulveris Kouso grammatibus 15 et aquae tepidae grammatibus 500, per 1½ horas sibi relicto, usa est; 1½ horis post usum, sine doloribus colicis, Taeniae fragmenta alvo deposuit, quae medicus ad duas species pertinentia et singula capite praedita agnovit. In alvo secunda fragmenta adhuc nonnulla aderant. Aegrotata, quum post 15 dies rediret, sese sanitate frui optima aestata est.

OBSERVATIO 3<sup>a</sup>. Vir, 56 annorum, jam per 4 annos doloribus pungentibus in regione ventriculi correptus fuit, qui vespere et noctu, praecipue vero hyeme exacerbati erant, quique ciborum assumptione imminuebantur. Ante 2 menses, prima vice et deinceps fere quovis die Taeniae fragmenta deposuit. Fragmentorum depositioni, monente illo, usus Nasturtii hortensis (tuinkers) valdopere faveret. Die 10. mensis Decembris 1846 15 grammata pulveris Kouso, cum 400 aquae grammatibus infusa, accepit. Duabus horis post administrationem, alvum liquidam dum saepius in unius horae spatio deponeret, compluria vermis fragmenta, quorum nonnulla 1—2 decimetra longa erant, evacuavit; per reliquum diem et plura adhuc deposuit. Alio quodam die, redibat, fragmentum ostendens, quod 8 centimetra erat longum.

Quum jam putrefactum esset, certum iudicium de capitis praesentia ferri non poterat.

OBSERVATIO 4<sup>a</sup>. Vir, 52 annorum, ante quinque annos sese Taenia vexatum primo animadvertit. Deinde frustra diversis medicaminibus, ut cortice radice Granatorum, oleo Filicis maris aethereo, medicamento quod dicitur Petit Gars, spiritu Therebinthinae, aliis, usus fuit. Die 8 Decembris 1846, in Nosocomio cui nomen Hôtel Dieu, 15 grammata pulveris Kouso, per 10 minutas cum aquae grammatibus 500 infusa, assumsit. Hora una praeterlapsa, sine doloribus colicis, Taeniam integram, 4 metra longam, deposuit. In alvo saepius deinde posita, nonnulla adhuc aderant fragmenta. Duabus horis post, alvus cessavit; homo nequaquam lassitudine correptus erat.

OBSERVATIO 5<sup>a</sup>. Foemina, 50 annorum, jam per 25 annos Taenia vexata, in eam, licet frustra, corticem radice Granatorum et remedium ita dictum Darbonii adhibuit. Ante circiter, 9 annos corticem radice Granatorum e Lusitania accepit et sese sanitatem recuperasse existimabat. Administrationis hujus remedii effectus attamen silentio praeteribat. Ante duos fere menses fragmentorum depositio rursus sese instituit; fragmentorum longitudinem, 20 metra aequare existimat. Die 20 Februarii, 15 grammata pulveris Kouso cum aquae grammatibus 250 assumsit. Medicamenti usus illi non repugnavit nec nauseam produxit, solummodo sensum quemdam ingratum in ventriculo et intestinis percipiebat. In alvo tertia, Taemae fragmenta multa deposuit, quorum unum vivax et capite praeditum erat. Aqua tepida addita, caput, Hirudinis



medicatae ad instar, sese contraxit. Tria adhuc conspicuerunt fragmenta, omnia capite praedita; per reliquum diem sex fragmenta talia apparuerunt, ita ut observatoribus paterit, hanc foeminam 10 Taeniis fuisse affectam. Quae cum expulsa esset, foemina sese eadem frui agilitate, ac si 15 annorum esset, neque curatione defessam esse, declaravit.

Nec Doct. MEYER AHRENS, nec mihi contigit, libros annales acquirere, in quibus observationes illae occurrunt, atque ita illas ex opusculo, a PHILIPPE edito, jam saepius commemorato, colligere debui. Praeter jam commemoratas, nobis observationem Doct. MERAT, communicat, qui, flores Brayerae, quos a viro D'ABBADIE accepit, foeminae tali cum eventu praebuit ut a Taenia liberata, in posterum illa non amplius vexata sit. Praeter quatuor testimonia, quae actionem florum Brayerae, a PHILIPPE acceptorum, praeclaram probant, in illo de administrandi ratione, sequenti modo fuse tractatur:

Quoad conditiones, quas administratio postulat: licet flores Brayerae, ob illorum actionem organismo innocuam, ab omnibus hominibus, cujusvis aetatis et constitutionis, accipi possint, sedulo indagemus oportet, ne noxiae inde redundent, de statu sano organorum digestionem inservientium, aut illorum irritatione, aut inflammatione. Medicamentum iis potissimum assumatur diebus, qui vermibus expulsionem spontaneam proxime antecedunt. Curam praeparativam, qua vulgo non opus est, instituere quando volumus, purgantia mitiora, ut oleum Ricini frigide aut recens paratum, aquam Sedlitsensem, alia, porrigamus.

Quod modum attinet, quo flores Brayerae praeparari et ad-

ministrari debent, medicamento, jejunos et uno quasi haustu aegrotans utatur necesse est. Pulvis florum Brayerae quantitate aquae ebullientis sufficienti infundi, mixtura citissime agitari, atque infusum per semihoram, in vase bene clauso, sibi relinqui debet. Ante usum, mixtura bene agitari atque pulvis et fluidum simul assumi debent. In casu urgente, infuso Theae mitiori, aqua Selterana aut aqua communi, os mundare licet. Irritabilitas quando adest major, ante usum, succum Citri aut Aurantiorum assumi, aut os spiritu vini eluere oportet.

Quoad cautiones post usum: medicamenti actio, etiam quoad celeritatem, ambulando augeatur; remedium per horam 4— $\frac{1}{2}$  in corpore servare oportet. Quando alvum deponendi necessitas ante tempus illud oritur, illam deprimere aegrotus conetur. Quum 2 horis post medicamentum administratum, alvus non insecuta sit, olei Ricini frigide aut recens parati, grammata 40—60 porrigantur; quae si etiam saepius repetita, alvum non ducant, purgantia fortiora, varia pro varia rerum conditione, indicentur.

Denique quod expulsionem Taeniae attinet: vermis, ut plurimum in alvo prima aut secunda adest. Quando vero pro parte apparet et non totus expellitur, caveatur ne frangatur, patienter expectetur et purgantia usitata administrantur necesse est. His monitis PHILIPPE sequenti modo finem imponit; «C'est qu'il est à coup sûr, bien peu de médicaments qui se soient produits au grand jour, avec un plus complet assemblage de titres aussi purs, aussi respectables que ceux du Koussou, sous des patronages aussi nombreux, aussi honorables; en un

mot sous la garantie d'autorités aussi compétentes, aussi élevés, aussi imposantes.»

COMBES ipse, medicus qui est, bis sibi ipsi radicem Filicis maris administravit; in utroque casu vermis metra nonnulla expulit. Nec oleum Chaberti adhibitum, nec corticis radicis Granatorum cum oleo Ricini administratio bis instituta, optatos ediderunt effectus. Quum vero 40 grammata florum Brayerae cum aquae grammatibus 500 infusa, assumisset, absque ullis molestiis, vermem integrum deposuit. In 17 mensibus postea, vermis ne vestigium quidem observari licuit. 1)

Doct. MARTIN SOLON tradit, postquam Stanno, ob effectus nocivos, quos adferre solet, oleo Ricini cum Aethere et oleo Therebinthinae essentiali ob saporem pluribus aegrotantibus repugnantem, radice Filicis maris, ob administrationem perversam, in medicina non amplius utebantur, de anthelminticis nullis aliis in Taeniam, nisi cortice radicis Granatorum et floribus Brayerae in Gallia sermo fuit. Quum decoctum corticis radicis Granatorum vero plurimis aegrotis repugnaret, praeparata diversa ex cortice isto confecerunt, videlicet pulverem, extracta, alia, quae, licet saporem emendarent, attamen corticis radicis Granatorum actionem in organa digestionis et cerebrum nocivam, protractam, saepius observatam, tollere non potuerunt. Et medici et aegroti, hujus actionis effectus saepius metuentes, de remedio ad-

---

1) SCHMIDT'S Jahrbücher 1850, Bd. 68 pag. 311. Journal de Toulouse Juillet, 1850.



ministrando dubitabant. Usus florum *Brayerae* in Therapia tunc temporis invaluit. Observationes, tam in praxi civili quam in Nosocomio institutae, florum *Brayerae* commoda, viro doct. ostenderunt, quum commode administrari possint, celeriter agant, nec, ut cum *Filicis maris* praeparatis fieri solet, olei *Ricini* administratione, ad alvum ducendam, egeant.

Anno 1849 in Nosocomio, cui nomen *Hôtel-Dieu*, casum sequentem, memorabilem, observavit Doct. MARTIN SOLON. Puer, 11 annorum, jam quinto aetatis anno, cortice radices *Granatorum* in Taeniam usus fuit. Ex ejus adhibitione valde aegrotavit, convulsiones inde oriebantur et vermum fragmenta modo nonnulla expulsa erant. Aliquo tempore post, aliam dosin assumsit, absque ullo effectu et deinde omnes molestiae, *Taenia* productae, non cessarunt. Postquam in Nosocomium receptus fuit, per sex hebdomades, puer aut sponte, aut usu olei *Ricini* et decocti *Filicis maris*, fragmenta deposuit nonnulla membranacea, centimetrum longa, 3—4 millimetra lata, quae, quum stria transversali non praedita essent, MARTIN SOLON, non *Taeniae* articulos, vero pseudomembranas agnovit. Die 25 Novembris tamen articuli vermum sex, distincti, apparuerunt. Quum aegrotans decocto corticis radices *Granatorum* uti nollet, primo *Spiraeam ulmariam* (2—8 grammata pro dosi) pulveris et infusi sub forma administraverunt. Exinde valde aegrotavit, et vomitus, dolores colici et alvus, quae *Taeniae* fragmenta nulla continebat, orta sunt. Hebdomade sequenti, flores *Brayerae* administrati sunt, quorum grammata 8 cum aquae grammatibus 500

infundebantur. Aegrotus, infusum istud, bene agitatum, 5 in dosibus, cum spatio 5—10 minutorum intermedio, assumsit. Quartam dosin quum accepisset, nausea levior oriebatur. Horae quadrante post administrationem, quae aegroti non repugnavit, dolores colici et borborygmi percipiuntur. Horis 2 post, in alvo tertia, Taenias tres, in unam massam collectas, deposuit. In alvo quarta, quae ultima fuit, fragmentum nullum conspicuum erat. Aegrotus eodem die cibos assumsit et dolores nullos percepit. Quaeque Taeniarum modo 20—22 centimetra longa, 5—4 millimetra lata erat et in collo, cui tuberculum quod caput sistit observare non licuit, 4— $\frac{1}{2}$  millimetra modo lata erat. Duobus diebus post, aeger olei Ricini grammata 20 cum Aetheris sulphurici grammatibus 2 accepit. In alvo frequenti, liquida, quae insecuta est, vermes non aderant. Dosis altera florum Brayerae, quam nonnullis diebus post accepit, nullos edidit effectus. Hebdomade sequenti Nosocomium reliquit, sanitate fruens optima. Symptoma unicum morbi objectivum, scil. livor faciei, evanuit. 1)

In Nosocomio, cui nomen Val de Grâce, eodem fere tempore, floribus Brayerae utebantur. Multi homines, ex Algeria (ubi Taenia etiam endemice grassatur) reduces, qui frustra anthelminticorum serie usi fuerant, flores Brayerae quum accepissent, salutare eorum effectus experti sunt. In Nosocomio commemorato, flores Brayerae, aegroti, qui jam antea cortice radicis Granatorum, Tanaceto et oleo Ricini frustra

1) Revue Clinique. mai 1850.

usus fuit, administraverunt. Unica dosis sufficiens erat, post dolores colicos leviores et alvi depositiones nonnullos, irritationem tractus intestinalis non relinquentes, ad Taeniam, pluribus in fragmentis, quorum unum capite erat praeditum, divisam, expellendam; omnia symptomata, verme producta, statim evanuerant, nec, mense praeterlapso, redierant. 1)

De aliis observationibus cum floribus Brayerae in Gallia institutis, nil repertus sum. An flores Brayerae, quum jam corticem Musenna laudare inceperint, nomen servaturi sint, nec ne, temporis iudicio relinqui debet. D'ABBADIE, qui novum illud medicamentum in Galliam importavit, flores Brayerae postponens, sequentia de eo tradit; «Le Musenna est exempt de tous ces inconvenients (de quibus vid. diss. pag. 87). C'est l'écorce d'un arbre qui croît près de la Mer Rouge dans les environs de Mucawwah (Massouah?). La dose est de 60—70 grammes pulvérisés avec soin et exhibés dans un véhicule demi fluide, par exemple du miel ou de la bouillie de farine. On prend ce remède deux ou trois heures après le repas et le taenia est expulsé le lendemain généralement sans purgation ni tranchées. Quelquefois la guérison n'a lieu que le deuxième ou troisième jour.» 2)

Inter medicos, qui floribus Brayerae in morbis verminosis

---

1) Doct. A. WAHU, Annuaire de Médecine et de Chirurgie pratiques pour 1851, Paris, pag. 71.

2) Journal de Médecine, de Chirurgie et de Pharmacologie, Bruxelles 1852, Juillet. pag. 87.



utabantur, Angli haud infimum occupant locum. Jam anno 1845, in India orientali, scil. in urbe cui nomen Bombay, flores Brayerae militi Europaeo, lumbrico terete vexato, administraverunt. Remedium hoc in casu benigne egit atque salutaes edidit effectus. 1) Doct. BUDD, MARSHALL HALL et TODD, in Anglia ipsa, primi flores Brayerae adhibuerunt. Illorum observationes in pluribus libris annalibus Britannicis, 2) sic et in externis occurrunt 3).

Initio anni 1850, Doct. BUDD, quum alia medicamenta, ut cortex radicis Granatorum, oleum Therebinthinae aliaque, proposito non responderent, flores Brayerae administrare statuit. Administrandi ratio erat sequens: die, remedii usum antecedente, aegrotum dietam observare jussit illique olei Ricini aut Sulphatis Magnesia dosin porrexit, ut intestina a contentis mundaret et vermibus itaque remedii actioni magis expositus esset. Infusum, paratum e tali dosi quali Parisiis uti solent, et  $\frac{3}{4}$  heminae aqua tepida impletae, per 10 minutos sibi relictum, bene agitatam, tribus dosibus brevi sibi insequentibus, mane aegro jejuno porrigi jussit. Post administrationem florum Brayerae, oleum Ricini ad Taeniam expellendam praescripsit.

1) FROBIEPS Notizen Bd. 34 1845, pag. 174 ex Transactions of the Med. and Phys. society of Bombay. The Dublin Journal of Med. science. No. LXXIX. March 1845.

2) Lancet Avril Juni 1850. Times Avril 1850 prov. Journal March 1852.

3) Confer. SCHMIDT's Jahrbücher 1850, Bd. 67 pag. 36. Journal de Medicine de Bruxelles 1850 vol X pag. 559; Vol. XI. pag. 455. Vierteljahrsschrift für die Practische Heilkunde 1851. 3er Band Pharmakodynamik pag. 6. Doct. A. COHEN. Nieuw practisch tijdschrift voor de geneeskunde 1851. 668.

Omnibus fere in casibus, de quibus Angli monuerunt Taenia jam diu adfuit et in eam, diversis medicamentis usi fuerant. Apud omnes, vermis, paucis horis post administrationem, expellebatur; apud nonnullos hora tertia, apud alios quarta; in plurimis casibus eodem die; in uno, die secundo post administrationem medicaminis. Omnibus in hisce caput aut capitis anulum reperire licuit, quo vermis mortui suspicio movetur.

In uno aegrotantium Docti. BUDD curatio radicalis erat, quum ab Brayerae administratione, nulla symptomata, verme producta, amplius apparuerint. In alio Cholera Taeniae fragmenta, plura metra longa, expulit. Vermis iste pertinax jam antea, omnia anthelmintica adhibita, irrita fecerat. Floribus Brayerae administratis, a Taenia plane liberatus fuit aeger.

Doct. ROBB, foeminae, in stadio graviditatis provectori, quae versabatur, flores Brayerae administravit. Remedii dimidium evomuit; ea vero quae remanebant vermem necare aequae bene valuerunt. In duobus aliis aegrotis, quos vir doct. curavit, cephalalgiam leviolem observavit. Casum adhuc commemoraverunt, in quo aegrota quaedam, eodem die et die remedii administrationem insequenti, urinam crebre solvit. Quinque alii aegrotantes, ex remedii usu, nullas perceperunt molestias. BUDD tunc temporis ferme opinabatur, flores Brayerae remedium activum et tutum in Taeniam praebere.

Quum vero initio anni 1852 1) Doct. BUDD, quatuor in ca-

---

1) SCHMIDT's Jahrbücher. Band 75. 1852, pag. 29.

subus, flores *Brayerae* cum effectu, tam salutari, quam nullo, adhibuisset, praeter munditiam, conditiones sequentes, quae ad actionem florum *Brayerae* salutarem, magni sunt momenti, ab illo statuuntur. 1<sup>o</sup>. Aetas vermis, quae vitae tenacitatem majorem aut minorem causat. 2<sup>o</sup>. Mutationes quaedam vitalitatis periodice redeuntes. Teste experientia enim, eo tempore, quo vermis fragmenta sponte expelluntur, vermis debilior citius expelli potest. 3<sup>o</sup>. Consilia nonnulla praeparantia, verbi causa, diaeta atque purgantium usus ante curationem, quo intestina a sordibus mundantur et vermis remedii actioni magis exponitur. Omnium cathartorum eum in finem oleum Ricini optimum est, quum drastica fortiora ventriculi irritationem adducant, ita ut remedium non feratur. Usus Sulphatis Chininae aut amarorum aliorum per aliquot dies ante *Brayerae* administrationem, vermem debilitaret et itaque remedii actionem auget.

Doct. INGLIS, mense Julii 1850, foeminae 56 annorum, quae per 10 jam annos *Taenia* vexata fuit et in eam frustra omnia adhibuit medicamenta, postquam sese a cibis abstinuit, infusum Kouso, tribus dosibus divisum, cum 5 minutis intermediis, praebuit. Post horam praeterlapsam, dolores in abdomine percepit alvumque copiosam et aquosam deposuit, quae vermis fragmentum satis longum continebat. Post horae quadrantem, pars vermis altera, capite praedita, insecta est. Sulphas Magnesiae pro cathartico, et clyisma ex aqua curationi finem imposuerunt 1) Doctissimi WOOD, MASSEN,

1) SCHMIDT'S Jahrbücher 1850, Bd. 68 pag. 299. Times July 1850.



RICHARDSON, NEVILLE et MITCHELL, initio anni 1851, plures aegrotantes, floribus Brayerae, Taenia liberarunt. 1) Pluribus in casibus, floribus Brayerae, Parisiis importatis, utebantur secundum praescriptum iis additum. Dosis 6 fere drachmarum cum aquae tepidae unciis 40 infundebatur. Primo aegrotans aquam cum succo Citri assumebat, deinde infusum totum, bene agitatam, 2 vel 3 dosibus cum intervallis minoribus porrigebatur; deinceps aquam frigidam cum succo Citri aut infusum Theae, omisso saccharo et lacte, potabant. Semper actionem florum Brayerae salutarem observarunt medici angli; vermis mortuus 2 vel 6 horis post usum expellebatur. Interdum catharticum adhuc prae-buerunt, quo tamen, monente MITCHELL, non opus erat. Praeter sensum in faucibus urentem et pressionem levio-rem in regione ventriculi, nullas aegroti perceperunt molestias. Foemina, cui MITCHELL flores Brayerae administravit, infantem lactabat. Remedio, mense primo post partum utebatur, absque ullo damno in lactis secretionem aut infantis sanitatem.

Doct. BUSHNAN flores Brayerae viro cuidam prae-buit, qui Ascaridibus per duos annos vexatus, remediis commenda-tis, ut plurimum frustra, usus erat. Post applicationem clysmatis, ex pulveris Kouso uncia  $\beta$  et aquae unciis 8 confecti et administrationem ejusdem quantitatis per os, vermium copia insignis expulsa est et mox symptomata

---

1) SCHMIDT's Jahrbücher 1851, Bd. 70 pag. 292. Lancet. Jan 1851. Dublin Presse 15—26 Febr. 19 March 1851.

alia, aegro molesta evanuerunt. 1)

Doct. CORRON, medicus in Nosocomio pro phtisicis quod est Londini, foeminam 49 annorum curavit, quae Hysteriae ac Dyspepsiae symptomata praebat. Haec ad veram causam reducere corron nequit, donec illam Taeniae solii fragmenta deponere repertus est. Doses diversae olei Therebinthinae cum oleo Ricini, cum brevi temporis intervallo, absque ullo effectu administrabantur. Tunc jejuna, drachmis 6 pulveris Koussou, cum heminae dimidio aquae infusis, usa est; postquam per 14 horas sese a cibis abstinuit atque dosin olei Ricini magnam accepit, quae optatos ediderat effectus. Aegra et saporem et actionem ingrattissimam dixit; intra horam diarrhoea oriebatur vehemens; in alvo secunda cum mucositate et faecibus, vermis magnus, mortuus aderat. Intra 8 horas sequentes, dolores in abdomine percepit et sexties alvum ex sero, mucositate et Koussou compositam, deposuit. Taenia fere 17 pedes erat longa, in tres partes divisa et ab una parte in filamentum terminata, ita ut, quamvis caput reperiri nequiret, vermis tamen totus verosimillime expulsus esset. Aegrae vires, per nonnullos adhuc dies exhaustae erant et quum putaret vermis partem adhuc in corpore remansisse, post 5 hebdomades, olei Filicis maris drachmum  $\beta$  cum remedii mucilaginosi drachmis 2, bis de die, per tres dies assumsit. Actio hujus anthelmintici diuretica et cathartica erat; vermis vero ne vestigium quidem apparuit. Omnia symp-

1) SCHMIDT'S Jahrbücher 1851, Bd. 72 pag. 23. Medical Times. March 1851.

tomata nervosa et dyspeptica disparuerunt et aegra perfecte sana erat. Doct. corron, vim florum Brayerae catharticam, hoc in casu visam, quaeque vulgo non observatur, quum adjuvantibus catharticis, v. c. oleo Ricini, ut plurimum egeant, qualitati eorum tribuit, (ex alia via quam usitata illos accepit) atque opinatur, quo magis actio florum Brayerae in Europa eam in Abassinia (ubi semper alvum ducunt) adaequat, eo nos de illorum integritate et actione optata certiores esse. 1)

Doct. EDW. WELLS alium casum commemorat, in quo flores Brayerae administrati sunt postquam oleo Therebinthinae frustra usus fuerat. Per duos dies, ante curam institutam, aegrotus semina Hordei pro omni nutrimento accepit. Vespere ante curationem oleo Ricini usus est. Mane infusum, ex pulveris Kouso drachmis 6, cum aquae hemina 4 per horae quadrantem sibi relictum, cum toto et deinde aquam cum succo Citri accepit. Nausea oriebatur levior, verosimile ex volumine potionis magno. Quum 4 horis postea alvus non insecuta esset, olei Ricini unciam 1 $\beta$  assumpsit aeger. Mox vermis agglomeratus expulsus est. Caput reperiri nequit, quod secundum Doct. WELLS verosimile ex verme, denodatione fracto, repeti debet. Remedium ita benigne egit, ut aegrotus, necesse si esset, curam iterare vellet. 2)

---

1) London Medical Gazette. Vol. XII March 1851. Conf. MEYER AHRENS s. 83.

2) London Medical Gazette, Vol. XII February 1851. Conf. MEYER AHRENS. s, 83.



Mense Maji, ejusdem anni, Medici duo, de florum *Brayerae* administratione denuo retulerunt. Doct. TAYLOR aegrotanti, 52 annorum, jam ante duos annos radicem *Filicis Maris* et oleum *Therebinthinae* administravit, quibus vermibus fragmenta magna expulsa erant, ita ut aegrotus se *Taenia* liberatum existimaret. Symptomata vermibus, inter quae Doct. TAYLOR dolores in regione frontali et sensum caloris, in bulbo oculi, pathognomonica habet, attamen ante aliquod tempus redibant. TAYLOR, flores *Brayerae* tam laudatos adhibere statuit. Aegroti, per 24 horas, ciborum abstinentiam imposuit, deinde olei *Ricini* dosin illi porrexit, quae proposito respondebat et tandem florum *Brayerae* drachmas 6, divisim dosibus administravit; 6 horis postea, vermibus 18 pedes et ultra longus, expulsus est. 1)

Doct. BROUGHAM, fere eodem tempore, flores *Brayerae* foeminae 51 annorum, constitutionis tenerae et debilis, administravit. Aliis in locis, curam in vitium ventriculi et *Phtisin* instituerant medici, sed frustra. Ante tres fere annos *Taeniae* fragmenta plura evacuavit; medicus, quem adire solebat, anthelmintica usitata, inter quae radicem *Filicis Maris* et oleum *Therebinthinae*, illi porrexit. Ante annum vermibus fragmentum, metrum unum longum, cui caput non aderat, et deinde fere quavis hebdomade fragmenta plura deposuit. BROUGHAM, aegrotam jussit, die curationem antecedente, sese a cibis abstinere, eodemque die oleum *Ricini* porrexit. Crastino

1) *Medical Times*, Mai 1851 N<sup>o</sup>. 47.

die, dum jejuna erat, oleum Ricini iteravit et tunc florum Brayerae unciam 4  $\beta$  administravit. Horis 2 fere postea vermis duo fragmenta alvo deposuit, quorum unum  $2\frac{1}{2}$  ulnas, alterum, capite praeditum,  $1\frac{1}{2}$  ulnas, erat longum. Post duos dies iterum dosin talem florum Brayerae assumpsit, quae vermis nihil expulit. Aegrotam molestias fere nullas ex usu medicamenti perceperat. Verme expulso, gastralgia evanuit et post aliquot hebdomades colorem accepit sanio-rem, corpulentior evasit et sanitate sese frui meliori, quam annis 10 ultimo elapsis, testata est.

Circa idem fere tempus, Doct. SMITH actionem florum Brayerae salutarem, sequenti observatione, probavit. D. C., 45 annos natus, per duos annos Taenia excruciabatur. Ante annum Doct. SMITH, licet sine effectu, illi oleum Therebinthinae praescripsit. Ab aliis medicis alia accepit aeger medicamenta, quae, aequae ac cura cum Hydrargyro instituta, omnia irrita fuerunt. Postquam sese per 24 horas a cibis abstinerat, mane, jejunos, infusum e pulveris Kouso drachmis 6 et aqua tepida paratum, tribus dosibus, eum intervallo 10 minutarum, assumpsit, sed olei Ricini usum, illi pridie praescriptum, omiserat. Horis 4 post administrationem, attamen absque doloribus, alvum deposuit, fragmenta nonnulla quae continebat. Hora post, alvus copiosa sine doloribus insecuta est, in qua vermis, 17 pedes fere longus et articuli nonnulli aderant. Caput conspicere non licuit. Pars colli  $\frac{1}{16}$  pollicis fere erat lata, ita ut ad caput vermis fractus esset. Diebus insequentibus duobus, aegrotus pulveris Kouso drachmas 5 quovis die accepit,

quae alvum ducebant. Neque vermis, neque illius capitis in alvo vestigium aliquod reperiri potuit. Symptomata omnia evanuerant. 1)

Doct. BARCLAY casus sequentes Taeniae solii, in Nosocomio, cui nomen st. GEORGE, observatos, communicavit. 2) CASUS 1<sup>s</sup>. Vir quidam, jam mense Februarii, alio in Nosocomio, cui nomen Kings College, floribus Brayerae usus fuit, qui, monente illo, vermem 57 pedes longum, expulerant. Mense Aprilis ejusdem anni Taeniae articulos rursus conspiciebat et mense Junii insequenti, in Nosocomio cui nomen St. George, dosi florum Brayerae altera usus est, qua vermis partem satis magnam deposuit. Mense Octobris articuli denuo apparuerunt. Nunc praeparatum, quod prae-buerunt SAVERY et MOARES, adhibuerunt, quod fragmentum 15 pedes longum, capite iterum carens, expulit.

CASUS 2<sup>s</sup>. Aegrotus quidam, ante 11 fere hebdomades floribus Brayerae usus, vermis fragmentum, 17 ad 18 pedes longum, alvo deposuit. Symptomata omnia morbi evanuerant, sed 8 hebdomadibus post redibant. Florum Brayerae administrationem iteraverunt et quum, per aliquot horas post, eam alvus non insecuta esset, potionem nigram(?) illi prae-buerunt, qua fragmenta nonnulla apparuerunt. Nonnullis diebus post, per quos, etsi catharticis uteretur, nihil vermis deposuit, dosin florum Brayerae iterum assumsit, qua vermis ulnae 2 vel 3, capite carentes, expellebantur. Post 3 hebdoma-

1) Medical Times, July 1851 N<sup>o</sup>. 53.

2) Medical Times, October 1851 N<sup>o</sup>. 68.



des aeger rediit. Doct. BARCLAY curationem iterare noluit et Ferrum praescripsit ut eo organismi tonum restitueret.

CASUS 5<sup>s</sup>. Puellae, 17 annorum, dosis olei Therebinthinae cum oleo Ricini ante 4 fere menses porrecta, levamen aliquod attulit. Ante mensem elapsum, symptomata dyspepsiae redierunt. Post florum Brayerae administrationem, fragmenta plura, libera, simul sumta ulnam longa, absque capite evacuavit. Aegrotata, quae constitutionis erat nervosae atque irregulariter menstruabat, statim post usum Brayerae, de cephalalgia quaerebatur, quae tamen imminuebatur quum cubitum ivit. Facies rubra, lingua albida et obsessa, pulsus celer erant. Post usum mixturae cum sale medio quodam, conditio emendata est. Doct. BARCLAY curationem iterare dissuasit.

Monente illo, flores Brayerae saepius vermis fragmenta majora expellunt, caput vero expulsum numquam vidit. Porro absque dubio esse refert; 1<sup>o</sup>. nec flores Brayerae nec alia anthelmintica omnia, semper optatos edere effectus; 2<sup>o</sup>. Methodos praeparationis diversas, nullius esse momenti in actionem et 3<sup>o</sup>. flores Brayerae vermem necandi facultate non gaudere.

Doct. JACK, sequentia, quae octo casus Taeniae solii in praxi civili praebuerunt, nobis communicat. Taenia, ope florum Brayerae, absque ulla additione, intra  $\frac{1}{2}$  ad 9 horas, post unam, duas, tres aut plures alvos aquosas, non dolentes, expellebatur. Modo duobus in casibus cathartico mitiori opus erat. Nonnumquam ex usu Brayerae molestias

aut dolores in abdomine, numquam vero eorum actionem organismo nocivam talem observavit, qualem oxydum Cupri, cortex radicis Granatorum aut extractum Filicis maris aethereum exercere solent. Flores Brayerae, a BOGGIO Parisiis recepti, efficacius agebant quam Anglici, qui vilioris erant praetii. Administrandi ratio eadem erat, quae a PEREIRA commendata est (vid. infra). Monente JACK, acidum Citricum, cum principio peculiari activo florum Brayerae sese conjungeret. An haec ita sint ex accuratiori tantum chemica Brayerae cognitione patebit. Durante usu et postea, Doct. JACK succum Citri cum aqua pro potu et gargarismate praescripsit, aegrotantes ambulare jussit et quum intra 3 horas alvus non insecuta esset, cathartica mitiora (solutionem Sulphatis Magnesia, alia) administravit. Nec anni tempora nec lunae faciem curabat; nullius erant momenti in actionem. Recidiva non apparuerunt. Quod si de Taeniae praesentia certi esse volumus, articulorum expulsionem spontaneam ut exspectemus suadet. 1)

Doct. SILVESTER, duobus in casibus, Taeniam cum capite expulsam ex usu florum Brayerae observavit. 2) Duo insuper medici Angli, VAUGHAN qui degit in urbe cui nomen Aden (Arabia felix) et JAMES DAUBENAY, in urbe qui est, cui nomen Bombay, de floribus Brayerae sententias protulerunt. Quum primus remedium habeat cite et tute agens, alter monet,

1) Vierteljahrsschrift für die Practische Heilkunde 1852, Bd. 34. Pharmacologie s, 9.

2) SCHMIDT's Jahrbücher, Bd. 77. 1853, pag. 174.

flores Brayerae, licet vermibus fragmenta expellant, raro sanationem praebere radicalem. Cortex radicis Granatorum momento illo aequè bene ageret. 1)

Doct. PEREIRA, in descriptione sua florum Brayerae saepius laudata 2), actionem physiologicam remedii hanc statuit; interdum cephalalgia levior, nausea, vomitus et sitis adsunt; raro diarrhoea levior adfuit; ut plurimum catharticum mitius deinde administrari debet. Exinde patet vim anthelminticam non ex actione cathartica, vero ex intoxicatione vermium oriri, ita ut remedium sit quod vermium vitam revera extinguat. Simul monet, remedium praedispositionem in vermes nequaquam tollere posse, sed cum SCHIMPERO opinatur, illud in Europaeis, quibus praedispositio in vermes non talis inest, qualis Abassinis (quibus innata est), efficacius agere. Ante et post usum, aquam frigidam cum succo Citri limoni (limoensap) ad saporem corrigendum et infusum Theae, omissis saccharo et lacte, ad actionem augendam, commendat. Pro aetate diversa diversas has statuit doses:

pro adulto . . . . .	240 grana sive uncia $\beta$ .
» pueris annorum 7—12 $\frac{2}{3}$ . . .	160 » sive dr. 2 scr. 2.
» » » 5—7 $\frac{1}{2}$ . . .	120 » sive drachmae 2.
» » tres annos nondum natis $\frac{1}{3}$ . . .	80 grana sive scr. 4.

Anno 1851 etiam in Helvetia medici flores Brayerae administraverunt. Casus sequentes, a Clar. HASSE, in Nosocomio quod

1) SCHMIDT'S Jahrbücher 1851, Bd. 69 pag. 163. Lancet, September 1850.

2) Pharmaceutical Journal, July 1850, pag. 22 seq.



est Turici, observatos, MEYER AHRENS nobiscum communi-  
 cat. 4) CASUS 1. Aegrotus quidam, jam per 6 vel 8 annos Taenia  
 laborans, absque ullo effectu, pluribus medicaminibus,  
 inter quae cortice radice Granatorum, usus fuit. Die 14  
 mensis Martii, in Nosocomium receptus, ad diem 18 ejus-  
 dem mensis, plures vermis articulos deposuit; eodem  
 die floribus Brayerae (a pharmacopola JOBST Stuttgardiensis  
 receptis, ad aspectu pulcherrimis), sequenti modo utebatur.  
 Quantitatem totam, bene antea exsiccatam, a caulibus  
 mundaverunt et in pulverem reducerunt. Pulveris pon-  
 dus erat drachmarum 6 et scrupuli 4. Ex pulveris quan-  
 titate tota cum aqua frigida electuarium paraverunt, quod  
 aegrotus, statim postquam paratum erat, intra 15 minutos,  
 cum intervallis exiguis assumsit. Nausea quidem et dolores  
 in abdomine oriebantur, sed vomitus non insecutus est.  
 Horis 2 post, primo alvum deposuit; idque ad vesperem usque  
 5 vel 6 idem fecit. In alvo secunda, vermis fragmentum,  
 plures pedes longum, aderat; in tertia fragmenta alia mi-  
 nora, inter quae collum conspiciebatur; reliquae nil vermis  
 continebant. Caput reperiri non licuit; aegrotus actionem  
 remedii commodam et benignam laudabat. Vespere attamen  
 stranguria orta est. Noctem aegrotus decies urinam missit, cum  
 doloribus in glande penis. Pressione, in regionibus renum  
 et vesicae urinariae instituta, dolor non oriebatur. Urina  
 coloris erat rubri, sanguinei; sedimentum deposuit san-  
 guinolens, acidae erat reactionis, atque coctione et additione

---

1) MEYER AHRENS, pag. 67 et pag. 87.

acidi Nitrici, praecipitatum Albuminis copiosum deposuit. Oedema nusquam aderat. Stranguria per diem sequentem (19) sic et nocte insequenti, licet imminuta, continuabat. Aegrotus in nocte illa modo ter urinam misit. Die 20<sup>o</sup>., urina mane sedimentum sanguineum deposuit, loco cujus, mox sedimentum mucoso-purulentum oriebatur, ad diem 21<sup>um</sup> quod sensim sensimque imminuit. Aegrotus, eodem die, quando urinam solvebat, dolores nonnullos percipiebat, sed, data necessitate, eodem die Nosocomium reliquit.

Licet caput isto in casu non inventum sit, MEYER AHRENS flores Brayerae medicamentum praeclarum attamen habet. Brayerae effectus hoc in casu secundarii, ingrati, qui in hoc tantummodo casu sese protulerunt, nequaquam sinunt ut actioni florum Brayerae attribui possint. Nemo, monente viro doct. ex usu Brayerae, talem vero organorum uropoieticorum irritationem observavit (observatio pag. h. d. 111 occurrens Doct. MEYER AHRENS ignota videtur), sed nobis exemplum praebere possunt, quales effectus doses majores florum recentium in Abassinia habeant et cur incolae semper cum istius remedii administratione prudenter agant. Curam iterare, ut Doct. PRUNER indicat, irritatio organorum uropoieticorum, quae aderat, contraindicabat.

CASUS II. Vir robustus et sanus, 22 annorum, per tres menses in alvo fere quotidie Taeniae solii fragmenta observabat. Die 25 mensis Maji in Nosocomium receptus, infuso Sennae et Valerianae, (ana drachmae 2 cum aquae unciis 4,) cum Eleosaccharo Tanaceti et Syrupo Mannae usus est. Diarrhoea hinc levior oriebatur, ita ut aegrotus semel ad ter de die

alvum liquidam, pultaceam, ut plurimum 4 vel 2 vermibus articulos continentem, deponeret. Die 31 Maji aegrotus electuarium, e pulveris Kouso drachmis 6 (iterum a JOBST accepti) et melle et aqua confectum, intra 45 minutos assumebat. Exinde nausea levior, dolores in abdomine et borborygmi oriebantur. Quum versus meridiem alvus non insecta esset et borborygmi et dolores in abdomine cessavissent, duae doses Gummi Guttae (2 grana) illi porrectae, ad vesperem usque sexties alvum duxerunt. In alvo tertia vermibus indivisus, 6 ad 7 pedes longus, mortuus, evacuabatur. In alvo deinde posita articuli non aderant. Caput reperire non potuerunt. Flores Brayerae nunc effectus secundarios, ingratos, non ediderunt. Aegrotus, crastino die, cura plane restitutus erat.

In Italia, anno 1851, flores Brayerae etiam administraverunt medici, scil. viri Doct. OLIVARI et VINCENZO MASSE-ROTTI. 1)

Doct. OLIVARI, medicus in Nosocomio Cremonensi, casus sequentes observavit. I. Foemina 56 annorum, per 4 menses Taeniae fragmenta frequenter deposuit. Absque ulla praeparatione, electuarium, e pulveris Kouso drachmis 3 cum melle, duabus dosibus, cum spatio 2 horarum intermedio, assumsit. Horis 2 post olei Ricini unciam accepit et post horas duas praeterlapsas, iterum olei Ricini

---

1) SCHMIDT's Jahrbücher, Bd. 74 1852, pag. 164 ex Gaz. Med. Ital. fed. Lombard.



unciam illi praebuerunt. Per diem vermis fragmentorum, 1 ad 2'' longorum, copiam deposuit insignem. Ab hoc tempore a morbo libera visa est.

CASUS II. Puella, 16 annorum, florum Brayerae decocto tepido cum aqua usa est. Dosis, administrandi ratio ac usus olei Ricini eadem ac supra erant. Inter alia fragmenta minora, fragmentum 22 ulnas longum, ab una parte acuminatum et articulis brevibus praeditum (ut prope caput fieri solet), deposuit. Caput at vero non aderat. Per 2 menses aegrotā ab omnibus molestiis fuit libera.

CASUS III. Vir 40 annorum, per plures annos qui jam Taenia vexatus fuerat, curandi methodos plures subiit. Mireris, quod dum in alvis ex natura positis fere semper vermīs fragmenta aderant, in iis, quae arte provocatae erant, ne vestigium vermīs quidem apparuit. Post usum electuarii Kouso (drachmae 5) fragmenta plura, 6 ad 8 ulnas longa, Taeniae Solii expulsa fuerunt et morbus evanuit.

Doct. OLIARI opinatur, etsi observationes commemoratae vermīs totius expulsionem non probent, attamen in remedii laudes tendant, quum vermēm necare aut illius Narcosin inducere videatur, dum numquam vitae vestigium apparuit. Usus commodus est, nec, ut alia anthelmintica, effectus secundarios edit nocivos.

Etiam Doct. VINCENTO MASSEROTTI flores Brayerae, felici cum eventu, in casibus sequentibus administravit. CASUS I. Vir 40 annorum, jam a juventute Botriocephali lati fragmenta deposuerat, diversissimas curandi rationes subiit, parasito magis magisque excruciabatur et fratris sortem

subire metuebat, qui ex gastro-enteritide chronica, verme producta, mortuus erat. Florum Brayerae dosis (licet aegrotus, injussus, aquam Sedtlitsensem assumisset et vehementer vomisset), plura vermis fragmenta, quorum unum 12 ulnas longum, capite erat praeditum, expulit. Ab eo tempore, nullas percepit molestias.

CASUS II. Puella 55 annorum, ab anno 1845, vermis fragmenta multa deposuit et tremore artuum dolorifico, doloribus colicis, palpitationibus cordis, melancholia et emaciatione valde excruciabatur. MASSEROTTI, nonnullos articulos, sponte expulsos, 2 horis post, sese in aqua celeriter movere perspicue vidit, quod et ipsa aegrota semper observaverat. Florum Brayerae drachmae 5, post sensum pressionis in ventriculo, dolores et molestias per plures horas, fragmenta diversa minora et majora, quorum unum capite erat praeditum, expulerunt. In omnibus fragmentis vita extincta erat. Sanatio radicalis erat. Monente MASSEROTTI, dosis et forma, quibus hucusque semper remedio utuntur, administrationem remedii caeterum activi, ingratam et incommodam facit. Quam maxime optandum esset ut principium agens aut florum extractum praepararetur.

In Belgio, quoad mihi notum est, nullae observationes exstant, nisi eae, quas Doct. HANNON, Bruxellis, de florum Brayerae actione instituit. Doct. ille vir observavit 1), omnia

1) SCHMIDT's Jahrbücher 1852, Bd. 75. Medical Times Avril 1852 N<sup>o</sup>. 93. Geneeskundige courant, 6 Junij 1852.

Entozoa in Ranarum intestinis contenta, simul ac infuso florum Brayerae tangebantur, brevi moriri. Hac observatione nitens, in Ascarides, clysmata e grammatibus 5 florum Brayerae et aquae unciis 5 paratum applicari jussit, atque pro usu interno, florum Brayerae gramma 4 cum  $\frac{1}{4}$  heminae aqua impletae, infusum, praescripsit. 4) Deinde Mannam administravit. Saepius clysmata talia 2 vel 5, (Mercurio dulci, Seminibus contra, Spigelia Marylandica, Aloe, aliis frustra jam anteo adhibitis) sanationem radicalem effecerunt. Vermes, Ascarides lumbricoides et vermiculares brevi moriebantur. Infusum, sensum ingrattissimum in faucibus et sitim intensam produxit; deinde sensus caloris in intestino recto percipiebatur. HANNON, flores Brayerae optimum omnium habet Anthelminticorum. In Taeniam semel iis usus est; grammata 20 florum Brayerae post 24 horas vermem expulerunt.

Accedimus jam nunc ad usum medicum remedii in patria nostra. Primus qui, apud nostrates, flores Brayerae administravit, nisi fallor, fuit Doct. VAN DER LEEUW, Ames-

---

2) In alio libro annali (Annales médicales de la Flandre occidentales. Mars 1852 pag. 421) administrandi rationem a Doct. HANNON adhibitam, talem monent. In Ascaridem lumbricoidem, gramma I Kouso cum  $\frac{1}{4}$  heminae (Liter) aqua impletae, infundebatur; nonnullis horis post hujus infusi usum, cathartica mitiora, v. c. solutionem Mannae in succo Prunorum, administravit. In Oxyuridem vermicularem, clysmata ex Kouso grammate uno et aquae unciis 3 paratum, semel vel saepius applicari jussit.



furti qui est, quique observationem sequentem cum publico communicavit. 1) Vir quidam, Taenia laborans, jam ante 2 annos, ex usu corticis radices Granatorum vermibus fragmentum, 4 ulnas longum, deposuit. Mense Decembris 1851, articulorum depositio spontanea observabatur. Quum tempus illud, monente praescripto, remedii actioni quam maxime faveret, illud adhibere Doct. VAN DER LEEUW statuit. Florum Brayerae quantitas, quam aegrotantis amicus ipse Parisiis emerat, ponderis erat unciarum 2 fere medicinalium. Remedii praeparationem eandem insecuti sunt, quam pag. 103 jam indicavimus. Hora 10 pomeridiana, aegrotus, jejunos, medicamentum accepit. Ad meridiem usque nullos remedii actionis percepit effectus; deinde alvum duxit satis copiosam, pultaceam, foetidam, brunneam, quae Taeniam non continebat. Ad horam primam postmeridianam, aeger bene sese habuit. Tunc bis alvum liquidam, decoloratam, parcam, deposuit. Hora secunda tenesmi ad alvum aderant frequentes et eo tempore absque ullo dolore, quasi uno impetu, vermis integer, agglomeratus, expulsus est. Caput etiam aderat; pars ista tamen plures in partes erat divisa. Taenia  $2\frac{1}{2}$  ulnas erat longa. Cura aegrotum non lassavit, bene sese habuit atque cum appetitu cibos assumsit.

Clar. SUERMAN secundus fuit, qui flores Brayerae administravit in casu sequenti, quem cum publico communicare, benevolus ille Clar. mihi concessit. Foemina 40 annorum,

---

1) Geneeskundige courant voor het Koninkrijk der Nederlanden, 1851. N<sup>o</sup>. 51.

quae saepius pepererat, constitutionis nervosae, jam diu vertiginibus vexata fuit et symptomata varia hyperaesthesiae praebuit, quae saepius majori minorive gradu aegrotabat. Symptomata ista a Taenia repeti debere, conspicuum erat e symptomatum mitigatione, postquam articuli plures, interdum insigni copia, expulsi erant. Flores Brayerae, Parisiis recepti, in lagena vitrea, sigillo munita, contenti erant; praetium erat florenorum 10. Quum aperta esset lagena, odorem spergebant flores penetrantem, odori seminum Santonici simillimum. Die 3<sup>o</sup>. mensis Maji anni 1852, hora 10 matutina, aegroto, jejuna, secundum praescriptum (de quo vid. diss. pag. 405) medicamentum lente et caute accepit. Nausea statim oriebatur, quae tamen initio, quum aegrota sederet omnemque motum evitaret, evanuit. Quum nausea brevi post iterum exorta esset ac vomitus immineret, aquam frigidam et frusta pomorum Aurantiorum assumsit, ex quorum usu sedabat. Cibum deinde perexiguum, potum autem nullum assumsit. Hora 4<sup>a</sup>. pomeridiana cochlear pro dimidio oleo Ricini impletum et ita quavis hora accepit. Hora 7<sup>a</sup>. quum iterum oleum Ricini assumsisset, dosin ultimam evomuit. Hora 9<sup>a</sup>. alvus copiosa, liquida insecuta est, quae Taeniam solium, 7 $\frac{1}{2}$  metra longum sed capite non praeditum continebat. E conspectu accuratiori vero patuit, partem vermis exiguam modo in corpore remansisse. Aegrota, quae valdopere lassata erat, post usum panis cum lacte, lectum petivit. Noctem quieta degit; e somno tamen evigilavit cum sensu lassitudinis universalis, qui per totum diem protrahebatur. Clar. SUERMAN catharticum aegrotae praescripsit, ex cujus usu diarrhoea, per tres dies protracta,

orta est. In alvo, quae per illos dies licet non copiose soluta erat, semper articuli vermis semiputrefacti aderant. Verosimile collum et caput tunc etiam expulsa sunt, licet ex perscrutatione accurata, illorum nil apparuerit. Lassitudo mox evanuit. Foemina ab eo tempore (post annum iam praeterlapsum) prorsus sana est. Vertigines non redierunt et symptomata hyperaesthesiae molestissima plane evanuerunt.

Casum sequentem, a Doct. DANCKERTS, medicus Amstelodamensis, observatum, communicare doctissimus ille benevolus mihi concessit. Foemina 40 annorum, quae, etsi nupta, numquam pepererat, semper regulariter menstruaverat atque lymphatici erat temperamenti, jam per annos symptomata accusavit, quae Taeniam praesentem indicabant, Mense Junii anni 1844 ex usu olei Therebinthinae et extracti Filicis maris, vermis fragmenta plura, absque capite, deposuit. Mensibus Julii et Augusti anni 1848, extracto Filicis maris aethereo cum drasticis (Mercurio dulci, Jalappa, Gummi Guttae), absque effectu optato, usa fuit. Aestate anni 1852 bis decoctum corticis radicis Granatorum, (unciae 3 ad colaturam unciarum 6), assumpsit, quum antea articulos vermis nonnullos sponte deposuisset. Remedium maxima pro parte evomuit; diarrhoea et virium lapsus oriebantur; vermis vero nihil expulsum est atque semper de serptu in abdomine quaerebatur. Mense post, quum vermis articuli iterum sponte apparerent, flores Brayerae administravit Doct. DANCKERTS, sub forma infusi (florum Brayerae uncia 4 ad colaturam unciarum 5), cujus omni hora scutellam assumi jussit. Pridie et post usum



infusi, Sulphatis Magnesiaë doses nonnullas aegrotanti porrexit. Horis 5 post usum infusi, ex quo nec nausea, nec molestiaë aliaë oriebantur, alvo, copiam satis magnam articulorum, Botriocephali lati, adhuc viventium deposuit. Collum tenuè quidem, caput vero non aderat. Symptomata, aegraë ingratisima, attamen perdurabant. Mense post, iterum articulos deposuit. Nunc flores Brayeraë electuarii sub forma et, ut antea, Sulphatem Magnesiaë ante et post curam institutam porrexit. Unica dosi electuarium assumsit; partem hujus deinde evomuit, (verosimile ex forma minus grata praeparationis.) Attamen, post horas nonnullas, Botriocephalus latus, mortuus, non valde longus, late articulatus, collo tenuissimo et capite praeditus (quae omnia Microscopii ope indagavit et ita esse agnovit), absque ullis molestiis expulsus est. Crastino die foemina bene sese habuit et sensationes commemoratas non amplius percepit. Nonnullis vero diebus post, iterum concussiones in latere sinistro et serptum percepit, quae symptomata, licet sanitati non nociva, majori minorive gradu adhuc perdurant. Alvus regularis est, normalis, nec vermis vestigia praebet. Doct. DANCKERTS, certum judicium ferre sese non audere testatur, an irritabilitate aucta, an alio verme, symptomata ista producantur. Flores Brayeraë, hoc in casu effectus edidisse quam maxime optandos, absque dubio est.

Liceat mihi jam observationes cum publico communicare, quae et ipse institui cum nostro anthelmintico efficaci. Sunt sequentes: OBSERVATIO 4<sup>a</sup>. JOANNES WILHELMUS LUYTEN, 45

annorum, Rheno Trajecti natus, ibi semper degit. Constitutionis est sanae atque per annum et dimidium Taenia sese aggressum percepit. Et parentes et soror ab hoc morbo immunes erant. Anno 1851, mense Junii, Clar. SUERMAN, cujus auxilium imploravit, electuarium e pulvere Filicis maris cum oxymelle scillitico et extracto Graminis confectum, illi praescripsit, quo vermis fragmentum, 4 fere ulnas longum, deposuit. Per longum tempus nil Taeniae apparuit; at vero mense Septembris, articuli quum iterum in alvo apparuissent, denuo Clar. SUERMAN adiit, qui illi pulverem praescripsit e Filici mari et Valeriana officinali paratum, ex cujus usu tamen Taenia non expulsa est, licet articuli semper in faecibus adessent. Ineunte mense Octobris, tertia vice pulvere Filicis maris per tres dies utebatur aeger, adhibito dein oleo Ricini, sed sine effectu quoad Taeniae expulsionem. Ab hoc tempore medicamina nulla accepit. Ante 5 fere hebdomades, vermis fragmentum, 4 fere ulnas longum, iterum deposuit.

Die 13 mensis Maji anni 1852 in Nosocomium recipiebatur. Pro cibo meridiano, oryzam cum aqua coctam accepit et vespere olei Ricini unciam, tribus dosibus assumsit, ex cujus usu bis alvum, ne vestigium quidem vermis continentem, deposuit. Die 14 Maji aeger, mane, ciborum copiam solitam accepit. Hora 11 $\frac{1}{2}$  infuso uti incepit, sequenti modo parato;

R. pulv. flor. Brayerae dr. VII  $\beta$ . inf. l. a. c. aq. ebull. unc. XVI. Macerentur per semihoram, non colentur, S. consumatur cum toto.

Lagenam vitream quae olim pulvere Kouso impleta Parisiis advenit, pulveris istius quam maxima potui quantitate implevi, ad dosin determinandam. Meridie, infuso isto usus fuit; durante ejus administratione nausea et vomitus oriebantur. Cochlearia tria, praecipue pulveris, circiter evomuit. Usu pomorum Aurantiorum nausea imminuta est. Infusi sapor amarus, adstringens et nauseosus erat atque per tempus satis longum perdurabat. Pro cibo meridiano denuo Oryzam accepit. Appetitus fere nullus erat. Quum alvus non insecuta esset, horis  $4\frac{1}{2}$  et 5, post meridiem, sic et hora vespertina 9, olei Ricini cochlear unum administrari curavi. Hora  $11\frac{1}{2}$  nocturna, alvum copiosam, consistentem deposuit, quae externo adpectu nil alieni praebebat. Alvo ista, crastino die, aqua diluta, Taeniae Solii fragmentum, 2 metra longum apparuit. Ex partis tenuioris conspectu vero patuit, fragmentum, metrum et ultra longum, capite praeditum, in corpore remansisse. Aegrotans, noctem quiete degit atque crastino die, sanitate fruebatur optima. Praeter nauseam et vomitum, dolorem in abdomine leviolem et dolores quum alvum poneret, nullas ex usu Brayerae percepit molestias. Die quo remedio utebatur, pulsus frequentia erat, hora  $12\frac{1}{2}$  postmeridiana, 76 ictuum: hora vespertina nona 52. Crastino vero die et nonnullis diebus post, illa frequentia erat 100 ictuum, quae normalis esse videbatur. Diebus 13 et 16 Maji, alvum non posuit, quare die 16 Maji, olei Ricini cochlearia duo administravi. In alvo exinde secuta, ex effato aegri, vermibus ne vestigium conspiceret licebat. Mense Februarii



1855, iterum me adiit. Symptomata nulla, vermem indicantia, apparuerant, ita ut, sanitate fruens optima, Taenia prorsus liberatus sit.

OBSERVATIO II. JEANNETTE PAPPINEAU, Lugduni Batavorum nata, 59 annorum, quorum 50 ultimos Rheno-Trajecti degit nupta, constitutionis sanae, nervosae, per 18 — 19 annos, Taeniae presentiam certe agnovit. Ante 5 fere annos, filio pharmacon quoddam in vermes commendaverunt, quod infusum, ex radice Calami aromatici, radice Gentianae, summitatibus Absynthii, cortice Cinnamomi et spiritu vini paratum, mihi patuit. Hoc remedio interdum utebatur, quo vermis fragmentum,  $5\frac{1}{2}$  ulnas longum, se deposuisse testatur. Praeter illud remedium, nonnumquam jejuna pulveris corticis radice Granatorum cochleareculum accepit, absque ullo tamen effectu. Anno 1849, ex praescripto medici, usa est decocto corticis radice Granatorum cum oleo Ricini, sed nil vermis ex ejus usu apparuit, vero per plures dies valde aegrotavit et debilis fuit, ita ut deinde in Taeniam alia medicamina assumere noluerit.

Die 16 mensis Maji 1852 aegra me adiit. Illius conditio haec erat: dolores rodentes in regione gastrica, praecipue ad latus sinistrum, appetitus irregularis et saepius ex ciborum appositione deletus; cum appetitu numquam coenabat, voracitas interdum aderat, quies satis profunda. Alvus regularis erat, lingua normalis, pulsus frequentia 76 ictuum, denique pupillae non dilatatae erant. Hora nocturna  $10\frac{1}{2}$  ejusdem diei, olei Ricini cochlear et serius iterum accepit, ex quorum usu crastino die, mane, alvum copiosam, consistentem depo-

suit. Die 17 Maji. Et aetas major et fragmentum quod in casu primo remansit me adduxerunt ut dosin augerem. Infusum e florum Brayerae drachmis 10 cum aquae ebullientis unciis 16, eodem modo ac supra, administravi. Hora matutina  $8\frac{1}{2}$  cum usu incipiens, ante horam 10 infusum totum assumserat. Durante usu nausea oriebatur. Hora  $9\frac{1}{2}$  quantitatem 5 cochlearium, praecipue pulveris evomuit; vomitus deinde ulterius non insequabatur. Ad nauseam imminuendam, pomis Aurantiorum et illorum cortice, bono cum eventu, usa est. Hora  $10\frac{1}{2}$  alvum deposuit copiosam, consistentem, quae vermibus nihil ostendebat. Meridie, olei Ricini cochlear in infuso Coffeae fortiori administravi; mox alvus, quae nonnullos continebat articulos, insequabatur. Hora 1a postmeridiana olei Ricini cochlear iterum assumpsit; pulsus frequentia 88 ictuum erat. Horam versus 2 denuo olei Ricini cochlear accepit, quod, post horam fere, alvum parcam, cum articulis duxit. Vermibus motus, quos horis 10 et 11 perspicue sentiebat aegra, nunc sistebant. Tenesmi ad alvum erant frequentes, licet omnes conatus ad alvum ponendam irriti essent. Facies tumida et praerubra erat; sese aegrotare foemina dicebat; pulsus frequentia erat 80—84 ictuum. Hora 5 vermibus expulsus est, absque ullis fere faecibus; agglomeratus et 6 fere metra longus erat; ad speciem Taeniae Solii pertinere apparuit. Indagatione microscopica instituta patuit, caput, sive in faecibus, sive in corpore, relictum esse. Hora 8 vespertina: aegra deinde semel alvum deposuit, fragmenta quae non continebat. Pulsus erat frequens (100 ictuum); facies adhuc tumida et rubra. Paucum ederat absque

ullo fere appetitu. Lectum ut peteret illi suasi. Die 18 Maji, mane: aegrotata, pridie, post horam 8<sup>am</sup>, ter Lipothymia afficiebatur. Noctem quietam egit, satis bene sese habet, sed sensum debilitatis accusat, licet gradu multo minori quam antea, post usum corticis radices Granatorum. Pulsus erat normalis, lingua non irritata. Hora 5 postmeridiana, quum illam rursus adirem, mihi narravit sese sanitate frui optima, cum appetitu cibos assumisisset et sensum ponderis et pressionis in abdomine, praecipue ad latus sinistrum, ubi vermem antea ut plurimum senserat, non amplius percipere. Nec hoc in casu foemina deinde Taenia vexata fuit. Mense Novembris 1852, quum illam adirem, mihi narravit se, post remedii administrationem, vermis nil percepisse. Diarhoeam leviolem, qua et nunc patiebatur ex remedii actione relictam putabat.

OBSERVATIO III. JOHANNES VERMAAK, 24 annos natus, innuptus, linteam lavans et insolans atque Rheno Trajecti degens, mense Maji 1852 polyclinicum medicum adiit, angina pharyngea leviori correptus. Tunc temporis etiam tradidit, se interdum vermis fragmenta plana evacuare; nonnullis diebus post, fragmentum tale ostendebat, quod exsiccatum quum esset, a Taenia provenire quidem patuit, de specie vero certum ferre iudicium non licebat. Die 17 Maji in Nosocomium recipiebatur. Ante 4 annos se Taenia affectum esse animadvertibat; ante annos  $2\frac{1}{2}$ , vermis fragmentum,  $4\frac{1}{2}$  ulnas fere longum, deposuit; numquam anthelmintico quodam usus fuit, nec in familia alii erant qui Taenia laboraverant. Aegri conditio talis erat: fames intensa, quae



facile satiabatur, interdum dolores in abdomine, somnus inquietus, saepius ex somno cum terrore evigilavit, pupillae non praetermodum dilatatae erant, lingua normalis; pulsus frequentia 90 ictuum. Omnia symptomata irritationis, angina producta, usu demulcentium evanuerant. Vespere, olei Ricini cochlearia duo administravi, quae alvum copiosam duxerunt. Die 18 Maji. Hora fere 8<sup>va</sup> matutina, infusum e florum Brayerae drachmis 40 cum aquae ebullientis unciis 16 paratum, intra horae quadrantem totum accepit. Praeter nauseam, nec vomitus nec aliae molestiae ex usu remedii ortae sunt. Hora post administrationem, in alvo prima, vermis vivax aderat. Fere 2 metra erat longus, ad speciem Botriocephali lati pertinebat atque nodus solidus in illo statim observabatur. Caput attamen non inveni. Ab horis 9—11<sup>1/2</sup> ante meridiem usque, ter alvum, vermis fragmentum ne quidem continentem deposuit. Catharticum non fuit administratum. Hora 11<sup>1/2</sup> pulsus frequentia erat 98 ictuum. Post horam 12<sup>1/2</sup> pomeridianam, alvus non amplius insecuta est. Aegrotus quaeritur de doloribus in abdomine et tenesmis ad alvum frequentibus, quos alvus non insequitur. Hora 5. Iterum alvum absque ullo vermis fragmento deposuit. Die 19 Maji. Aegrotans, pridie vespere, et nunc mane cibos cum appetitu assumsit; bene dormivit, alvum non amplius posuit, sed bene sese habet; pulsus et lingua normales erant, ita ut eodem die Nosocomium reliquerit. Mense Februarii anni 1855, mihi narravit, se, post usum remedii, Taenia prorsus liberum fuisse.

OBSERVATIO IV. CORNELIS MANTEN, 54 annos natus, navita,

pagum cui nomen Tienhoven, in provincia Rheno Trajectina habitans, constitutionis sanae, jam per 2 annos Taenia vexatus fuit. Mensibus Octobris et Novembris 1851, a medico pilulas accepit anthelminticas, quae nullos ediderunt effectus. Licet aqua non potissimum utatur, attamen interdum, quum agrum laboraret, aquam, e fossis haustam, se bibisse affirmat. Die 25 Martii 1852 in Nosocomium receptus, eodem die sequenti usus est praescripto.

R. Extr. Filicis mar. aeth. rec. parati scr. ʒ. i, pulveris Filic. mar. q. s. ut fiant pilul. aeq. No. XX.

Pilulas istas duabus assumsit dosibus. Die 26 Martii, olei Ricini uncia illi porrecta, alvum duxit, vermis ne vestigium quidem continentem. Eodem die dosin extracti Filicis maris aetherei ad drachmam  $\beta$  auctam accepit atque ea ut supra usus est. Crastino die iterum olei Ricini uncia utebatur, absque ullo effectu. Aegrotus Nosocomium reliquit.

Die 26 Aprilis rediit. Quum extractum Filicis maris aethereum nullos edidisset effectus, decoctum sequens administratum est.

R. cort. rad. Granat. unc. II. Macera per XII horas in aquae dep. unc. XXIV; dein coque l. a. ad col. unc. XII. adde syr. cort. Aurant. unc. I. s. omni bihorio poculum.

Diebus 27 et 28 Aprilis decoctum illud iterabatur et die 30 Aprilis, ex usu olei Ricini unciae, nil vermis deposuit. Aegrotus, nosocomio iterum relicto, pharmacopolam quemdam adiit, qui illi medicamentum quoddam praebuit. Quum eo usus esset ac alvum conspiceret, in ea, vermis fragmentum,  $1\frac{1}{2}$  ulnas longum observavit.

Die 29 Maji iterum ad Nosocomium venit. Sensationes, quas aegrotus e vermibus praesentia percipere testatur, sequentes sunt: dolores ad latus abdominis sinistrum, in regione umbilicali, sessione et quiete aucti. Quando laborat illos non percipit, sed tunc respiratio fit brevior. Somnus non quietus est; saepe somniis ex illo excitatur. Appetitus normalis et regularis; semper cum appetitu cibos assumit. Interdum vertigines adsunt, pupillae ac lingua normales, frequentia pulsus 80—84 ictuum, alvus regularis; borborygmos accusat frequentes. Vespere olei Ricini cochlearia duo porrexi, quae alvum copiosam, articulos non continentem, duxerunt. Dosis pulveris Koussou, quum eodem die Parisiis accepissem, eam illi administrare constitui. Lagena vitrea hujus pulveris subtilissimi drachmas fere 5 continebat. Odorem olei Jecoris Aselli spergebat; sapor erat amarus. Flores Brayerae, quos antea adhibui, odoris et saporis magis erant aromatici; color utriusque pulveris idem erat. Die 20 Maji. Aegrotus mane sese a cibis abstinuit et versus meridiem dosin commemoratam, cum aquae unciis 12 infusam, uno quasi haustu assumpsit. Nec nausea nec vomitus insecta sunt. Ante et post usum, pomorum Aurantiorum partes accepit. Hora 4 postmeridiana. Aegrotus nauseosus non fuit nec vomuit; alvum deposuit liquidam nil alieni continentem. Hora 2<sup>a</sup>. Ante semihoram et nunc iterum, alvum liquidam, copiosam deposuit, quae vermibus nil continebant. Nec nausea nec vomitus adfuerunt. Remedii actionem in abdomine se percipere affirmat. Hora 5<sup>1/2</sup>. Alvum denuo posuit; vermibus vero nihil apparuit. Hora 5. Aegrotus iterum alvum parcam,



liquidam, articulos non continentem, deposuit. Sensum ponderis, qui antea in latere sinistro aderat, nunc vero ob umbilicum percepit. Ut vermibus expulsionem faverem, olei Ricini cochlear porrexi. Hora  $7\frac{1}{2}$  vespertina. Ab hora 5, bis alvum liquidam posuit. Hora 6, olei Ricini cochlear denuo accepit, quod alvum liquidam, hora 8a. duxit. Sensus ponderis adhuc eodem percipitur loco. Hora 10. Aeger paucum ederat et semel alvum posuit; pulsus 78 ictuum erat. Hora 11. Aegrotus dormiebat; alvum non amplius posuit. Sensus ponderis et remedii actionis ob umbilicum adhuc percipiebat. Pulsus idem ac supra. Die 21 Maji. Mane iterum olei Ricini cochlear accepit, quod alvum vere non duxit. Ut irritationem intestinorum mitigarem, praescripsi;

R. fruct. Amygd. dulc. decort. unc. I emulg. l. a. ad col. unc. VIII. adde syr. simpl. unc. I. s. o. h. c.

Die 22 Maji, hora 10 promeridiana. Aeger, semel alvum consistentem, flavum deposuit, in qua nihil vermibus conspici poterat. Emulsionem Amygdalinam iteravi; isto die et nocte insequenti alvum deinde non deposuit. Die 23 Maji. Quum aegrotus sensum ponderis circa umbilicum semper accusaret, hora  $8\frac{1}{2}$  matutina infuso e floribus Brayerae (Amstelodamo quos accepi) drachmis 10 cum aquae unciis 16, intra quinque minutas denuo usus est; ad saporem corrigendum poma Aurantiorum iterum accepit. Hora  $11\frac{1}{2}$ . Quandoquidem alvus non insecuta erat, sic et semihora post, olei Ricini cochlear porrexi, quae versus meridiem alvum copiosam, satis consistentem, vermibus vestigium ne quidem continentem, duxerunt. Hora I postmeridiana alvum liqui-

dam sic et hora  $4\frac{1}{2}$  deposuit; post usum jusculi tepidi carnis, vomitus oriebatur. Statim Emulsionem amygdalinam iteravi; alvus et vomitus per reliquum diem et noctem insequentem sistebant. Aeger, vespere, cibos cum appetitu assumsit atque noctem quietam egit. Die 24 Maji. Alvum non posuit; Emulsione amygdalina semper usus fuit atque matutino et meridiano tempore, cum appetitu ederat. Post meridiem, quum bene sese haberet, nosocomium reliquit. Dolores in abdomine et sensus ponderis circa umbilicum evanuerant.

Faeces, diebus, quibus aegrotus floribus Brayerae usus est, aqua dilui et percolari jussi, et numquam vermis vestigium continebant, ita ut constare videatur, vermem, remedio pharmacopolae (verosimile extracto Filicis maris aethereo) jam expulsus fuisse. Actio florum Brayerae physiologica, hoc in casu, organismo innocua fuisse, et in sanguinis circulatione parumper accelerata (die 23 Maji, circulationis acceleratio non aderat) et intestinorum irritatione leviori constituisse videtur. Vomitus ex usu jusculi carnis repetendus videtur, Irritatio ventriculi, quae tunc aderat, certe levior fuit, quum usu emulsionis amygdalinae evanuerit.

Die 28 Februarii 1853, iterum Nosocomium adiit. Mecum communicavit, dolores in regione umbilicali brevi post Brayerae administrationem rediisse; mox et alia symptomata, inter quae respiratio brevior praecipuis, redierant. Alvus regularis erat, quam tamen numquam perscrutatus est, ita ut de vermibus praesentia certum iudicium ferre non potuerim. Pulsus regularis, pupillae normales erant; in eadem conditione versabatur ac antea. Hora 6 postmeridiana, infuso

uti incoepit e florum Brayerae (qui non in pulverem reducti erant) uncia 4 et aqua ebullienti ad colaturam unciarum 16, quod intra semihoram assumsit. Hora 8<sup>1</sup>/<sub>2</sub> olei Ricini unciam porrigi jussi, quae ante horam 12, bis alvum satis consistentem duxit. Deinde noctem quietam degit et dolores nullos in abdomine percepit. Die 1<sup>a</sup> Martii, hora 9<sup>a</sup>, alvum liquidam, absque doloribus iterum deposuit; dolorem in regione umbilicali auctum accusabat aeger; pressione vero non augebatur. Lingua albida et obsessa erat; pulsus normalis. Hora 6 postmeridiana, infusum e pulveris florum Brayerae drachmis 5, aquae ebullientis unciis 6 et mellis despumati uncia, cum toto assumsit. Hora 8<sup>a</sup>, olei Ricini uncia porrecta, alvum duxit liquidam. Neque in hac, neque in aliis, ullum vermis vestigium observare potui. Aeger Taenia carere mihi videbatur. Quum haemorrhoides, quibus antea correptus erat, suppressae, in causa doloris in abdomine esse possent, Hirudines medicatae VI ad anum applicari jussi. Quum mox vero nosocomium reliquerit, de illarum actione judicare non potui.

OBSERVATIO V. JOHANNES FREDERICUS OSTERMANN, in Germania natus, 66 annorum, artem musicam exercens, viduus, adhuc Veneri deditus, constitutionis est sanae, vero in apoplexiam pronus, teste habitu externo, collo breviori, pulsu duro, carotidibus fortiter pulsantibus. Jam anno 1807 bellum adiit atque diversis proeliis sub NAPOLEONE adfuit. Quum militaret, Hollandiam, Hispaniam, Germaniam, alias adiit regiones; proelio ad Waterloo interfuit in exercitu Batavo. Ab anno 1827, quum rude donatus esset, semper in Hollandia degit.



Temporis, quo vermis praesentiam primus agnovit, non amplius memor erat. Quum vero proelium ad Waterloo committerent, ab illo iam vexari commemorat, imo ipse antea Rheno Trajecti medicamentum, quod oleum Therebinthinae habuit, accepit, ex cujus usu fragmentum satis longum deposuit. Numquam abhuc alio anthelmintico usus est et semper vermem praesentem percepit. Die 50 Maji aeger auxilium meum imploravit. Nullas molestias, nisi vermis articulorum expulsionem spontaneam, absque alvo, et vertigines, percipiebat. Dolores in abdomine non aderant, alvus regularis, somnus quietus pupillae dilatatae, pulsus frequens (78 ictuum), lingua normalis, erant. Die pristino vermis articulos iterum solvit. Vespere olei Ricini cochlear accepit. Die 31 Maji. Aeger ante horam matulinam 9', bis alvum deposuit; in ultima vermis articuli aderant; cibus more solito usus fuit; pulsus idem erat. Hora 9, intra quinque minutos, infuso e pulveris florum Brayerae drachmis 7 cum aquae ebullientis unciis 10 usus est. Nec nausea nec vomitus inde exoriebantur. Hora 10 $\frac{1}{2}$  pulsus idem; alvum nondum deposuit sed remedii actionem percipiebat. Olei Ricini omni semihora cochlear porrigendum jussi. Meridie, alvum primam, vermis articulos non continentem deposuit. Ab hora ista ad horam 1 $\frac{1}{2}$ , quinquies alvum posuit. In ultima, Taenia solium, duas in partes, quarum pars superior in partes plures denuo divisa erat, ambae quae 8 fere metra longae erant, aderat. Caput reperire mihi non licuit. Hora 5 postmeridiana. Vertigines adsunt: pulsus frequentia est 104 ictuum; carotides fortissime pulsant; pediluvium appli-

catum salutare edidit effectus. Postquam copiose cum appetitu coenavit, nosocomium laetus reliquit, nil, nisi dolores pungentes leviores in abdominis latere dextro, ex usu florum *Brayerae*, se percepisse testans. Mense Februarii 1855 mihi affirmavit se deinde *Taenia* plane liberum fuisse.

OBSERVATIO VI. ELISABETH FELIX, UXOR BERNARDI HOFFMAN 55 annorum, septies quae peperit (infans junior 8 annos erat natus), *Rheno-Trajecti* nata erat, ibique semper degit praeter annos 1836—42 quos *Flessingae* erat. Jam per 5 annos *Taenia* se correptam esse agnovit. *Taeniae* causam accusat, quod aliquando in regione *Leovardiae* contigua breviter degens, aquam fontanam terra cespitia mixtam bibit. Ab hoc inde tempore *Taeniam* percepit. Foemina habitum refert sanum. Pupillae dilatatae, pulsus et lingua normales erant; appetitum insignis, tum deletus erat. Sommus inquietus est somniis crebris et evigilatione frequenti cum terrore. Menses regulares; ultimos hoc hebdomade habuit. Dolores vehementes in scrobiculo cordis et abdominis intumescunt, ita ut vestimenta solvere debeat, accusat. Post vermis evolutionem, insultos quasi epilepticos passa est, qui ob 2 aut 5 hebdomadem redeunt. Illos exurgere vulgo sentit; tunc saepe lipothymia, per 2 horas vulgo protracta oritur. Aegrotans, hac in conditione quum versatur, quieta est; nec motus convulsivi, nec spuma oris, nec pollices in palmo manus reflexi, observantur. Alvus irregularis est atque ut plurimum vermis articulos continet, quorum numerus conjunctus, numquam duos superat. In alvo hodie posita iterum aderant. Pater et verosimile mater etiam *Taenia* laborabant. Die 5 Julii 1852.

Aegrotā jejuna erat. Hora 2½ postmeridiana, infuso e pulveris Koussō drachmis 7 et aquae unciis 16, intra 5 minutos usa est. Saporem ingratissimum non accusavit; nec nausea nec vomitus usum sequebantur. Hora 4½ alvum nondum deposuit. Praescripsi olei Ricini uncias 2, quarum omni semihora cochlear. Ante horam 8<sup>am</sup> totam istam quantitatem assumsit, licet alvum, articulos continentem, copiosam, debitae consistentiae, mox deposuisset et illi mandavissem ut, alvo insecuta, sese ab oleo Ricini abstineret. Ab hora 8 ad horam 9½ bis alvum consistentem, articulis praeditam, evacuavit. Hora 10 vespertina: alvus liquidior, articulis praedita insecuta est. Aegra in sequenti conditione versatur: pulsus frequentia major; facies tumida, praerubra; cutis calet, corpus totum sudoribus profusis tectum est. In latere abdominis sinistro liberior sese sentit; ad latus vero dextrum, interdum intumescēntiam percepit, quae borborygmis exortis disparuit. Abdomen tumidum mihi apparuit. Sonus percussione editus in latere sinistro tympani ad instar erat; circa umbilicum et in latere dextro obtusior, in parte vero abdominis inferiori clarior erat. Hora fere 11, aegrotā sensationem in ano percepit insolitam. Famula, quae aderat, vermīs fragmentum insigne, sese movens, ex ano propendere videbat. Tractu cautissime instituto, Taeniae fragmentum, plus quam 4 metra longum accepit. Capite non erat praeditum. Illud vero in alvo, hora 11 insequenti, quae articulos adhuc continebat, reperisse putabam, at microscopii ope indagatum, Ascaridem patuit. Emulsio amygdalina, crastino die porrecta, irritationem intestinorum omnem sedavit.



Die 7 Februarii 1853, aegra iterum nosocomium adiit. Mihi narravit, per septem hebdomades priores, remedii usum insequentem, sese bene habuisse, insultos epilepticos non passam fuisse, nec ulla vermum symptomata percepisse. Postea et articuli in alvo et symptomata eadem ac antea redierunt. Quum attamen saepius deinde Haematemesi correpta fuisset, curam in vermum iterare non ausa est. Mensibus fere 2 ultimo elapsis, Haematemesin non amplius passa est. In regione mesogastrica, dolor, pressione auctus, aderat. Aegra mecum communicabat, se, ante Brayerae administrationem, jam saepius Haematemesi laboravisse; dolor in regione gastrica tunc etiam aderat. Habitus externus aegrae at vero in malam ruit partem, quum emaciata et color faciei pallidus, lividus, esset. Hora 4<sup>a</sup> postmeridiana aegrotata, jejuna, sequenti praescripto, unica dosi utebatur.

R. Extr. flor. Bray. aquos. dr. II, mellis despum. unc. I, aquae dep. q. s. ut fiat electuarium molle.

Quum hora 3<sup>a</sup> alvum nondum deposuisset, olei Ricini omni semihora cochlear ut porrigeretur, mandavi. Hora 4 alvus insecuta est. Noctu, quam quietam degit, bis alvum deposuit, quae semper vermum articulos nonnullos continebat. Die 8 Februarii: aegrotata mane cibos non assumpsit; ab hora 8—11, ter alvum liquidam, nonnullos vermum articulos continentem, deposuit. Electuarium iteravi, quo hora 4<sup>1/2</sup> postmeridiana utebatur; pro cibo meridiano, sic ac pridie, oryzam accepit. Hora 4<sup>1/2</sup>, quum oleum Ricini illi repugnaret, aquae laxativae Viennensis unciam Iβ duabus assumpsit dosibus. Alvus at vero non amplius insecuta est. Crastino

die nosocomium reliquit atque se insulto epileptico eodem die correptam fuisse affirmat.

Die 19 Februarii iterum Nosocomium advenit. Post curam ultimo institutam, sese diarrhoeam pati contendit. Vulgo ter de die abinde alvum deposuit, vermibus articulos multos continentem. Pupillae normales erant, pulsus regularis, lingua albida et obsessa erat; dolor in regione mesogastrica idem ac antea, saepius aegra dolores in abdomine percepit. Hora 4<sup>1</sup>/<sub>2</sub> postmeridiana, jejuna, electuarium sequens intra semihoram assumpsit.

R. pulv. flor. Bray. dr. 6. Mell. despum. unc. 6, aquae q. s. ut fiat electuarium molle.

Hora 5<sup>a</sup> aegra se remedii actionem percipere dicebat; bene sese habuit. Hora vespertina at vero 9<sup>1</sup>/<sub>2</sub> nausea aderat; anxia erat aegrotata; abdomen, valde tumidum, dolebat. Clyisma, ex oleo et aqua confectum, applicari curavi, cui, noctu alvus, nonnullos vermibus articulos liberos, simul sumtos 2 partes Metri decimas longos, continens, insecuta est. Die 20 Februarii. Noctem satis quietam degit. Meteorismus evanuit; dolor attamen abdominis aderat pressione auctus. Alvus deinde non insecuta erat. Hora meridiana olei Ricini unciam 4 $\beta$  accepit. Hora 6 postmeridiana alvus insecuta est, quae vermibus nil continebat. Aegrotata per aliquot dies in nosocomio mansit. In alvo vero numquam vermibus vestigium observare licuit. Quum aegrae conditio, curam iterare contraindicaret, nosocomium reliquit.

OBSERVATIO VII. JOHANNA WIEKART, famula, 50 annorum, innupta, Rheno Trajecti nata, ibi semper degit. Jam per 2

annos Taeniam praesentem certe agnovit. Usum carnis depravatae, qua, dum famula erat coqui, utebatur, causam vermis accusat. Habitus puellae externus sanus; menstruatio regularis; linguae conditio bona, pulsus et alvus regulares erant. Quum articuli vermis sponte expelluntur, (semper sine faecibus) praecipue dolores in latere abdominis sinistro percipit. Numquam vermis fragmenta majora deposuit. Appetitus irregularis est; somnus inquietus e somniis crebris. Interdum nausea adest et sensus impedimenti cujusdam in faucibus (globus hystericus); pupillae dilatatae sunt; saepius pruritus narium adest. Die 6 Februarii 1853, vespere olei Ricini unciam 1 assumsit, quae noctu alvum copiosam duxit. Die 7 Februarii. Aegra, hora matutina 2, cum usu pilularum sequentium incepit;

R. Extr. flor. Bray. aeth. scr. 2, pulv. flor. Bray. q. s. ut fiant pilul. aeq. N<sup>o</sup>. 50. Conspergantur cum pulv. lapid. Cancr.

Pro cibo meridiano oryzam accepit. Quum hora 1 $\frac{1}{2}$ , omnibus pilulis assumtis, alvus non insecuta esset, olei Ricini uncias 2, omni semihora cochlear, porrigi jussi. Aegrotata remedii actionem nullam percipiebat. Hora vespertina 7: aegrotata, etsi olei Ricini uncias 2 assumsisset, alvum non posuit. Denuo olei Ricini uncias 2 praescripsi. Hora 9, alvus prima insecuta est; noctu dolores leviores in abdomine percepit; satis bene dormivit et bis alvum deposuit, quae ut antea semper vermis articulos perpaucos continebat. Die 8 Februarii, hora 8 matutina, aegrotata alvum deposuit liquidam. Extr. flor. Bray.



aeth. scr. 2, in 40 pilulas, ut supra, divisa, iteravi. Hora  $8\frac{1}{2}$  sic et  $9\frac{1}{2}$  harum decem, et hora 2 postmeridiana caetera assumsit. Hora 4 alvum deposuit vermis articulos nonnullos continentem. Hora 6. Aegrotā non amplius alvum deposuit; pulsus regularis erat; nil ex remedii usu percepit. Praescripsi: R. Sulph. Magn. unc. I, aq. depur. unc. 4. Syr. comm. unc. I. S. omni semihora cochlear.

Die 9 Februarii, mane, alvum vermis articulos continentem deposuit. Eodem die nosocomium reliquit.

Die 19 Februarii rediit. Aegrotā nullas ex verme percepit molestias. Praeter linguam parumper obsessam, in conditione eadem versabatur ac antea. Quum extractum florum Brayerae aethereum nullos edidisse effectus mihi videretur, alia sub forma flores Brayerae porrigendos in animo habebam, scil. sequenti ratione;

R. pulv. flor. Bray. dr. 6. Coq. l. a. ad col. unc. 8. adde mell. comm. unc. I. S. ob 10 minutas scutella.

Aegrotā, quae jejuna erat, decocto isto, hora 2 postmeridiana uti incoepit. Hora 3 totam assumsit quantitatem: pro cibo meridiano, oryzam accepit. Noctu, alvum deposuit, quae vermis fragmenta nonnulla, 5 partes metri decimas longa, continebat. Aegrotā ex usu remedii nullas percepit molestias. Die 20 Februarii, hora meridiana, olei Ricini unciam I accepit, quae alvum duxit, nil vermis continentem. Diebus insequentibus semper in nosocomio fuit. In alvo, quam deponebat, ne vestigium quidem vermis apparuit.

Die 28 Februarii, hora postmeridiana 3, aegra cum usu infusi sequentis incoepit

R. pulv. flor. Bray. dr. ʒ, inf. c. aq. ebull. unc. 16, adde mell. comm. unc. I, non coletur; sign. consumatur cum toto.

Hora 6 totam assumserat quantitatem; durante usu, frustula pomorum Aurantiorum accepit. Nec nausea, nec vomitus adfuerunt. Hora 8 vespertina olei Ricini unciam I porrexi; hora 9 alvus insecuta est, quae nil vermum continebat. Die 4 Martii. Noctem quietam degit et bis noctu alvum deposuit liquidam. Nullos in abdomine dolores percepit. Hora matutina 9, iterum alvum deposuit liquidam; in nulla aliquid vermum conspicere licebat. Eodem die nosocomium reliquit.

OBSERVATIO VIII. GEESJE REITS, foemina nupta, 55 annorum, constitutionis nervosae, per plures annos in familia quadam Amstelodami, ad Helminthiasin valdopere disposita, (cujus puella quaedam, anno praeterito, ex usu corticis radicis Granatorum 4 Taenias deposuit) degit. Licet per duos modo annos Taeniae praesentiam certe agnoverit, attamen vermum jam diu antea se suscepisse opinatur, quum, per annos eadem in conditione versata sit, qua nunc. Foeminae conditio, quum illam adirem, talis erat; pulsus et lingua normales, alvus regularis, somnus e somniis crebris inquietus, saepe ex illo cum terrore evigilat aegra. Pupillae dilatatae erant, appetitus, antea irregularis, nunc normalis erat. Saepissime anxia erat atque sensum ingratisimum in abdominis latere sinistro percipiebat. Saepius tremore artuum et luxatione manus sinistri spontanea corripiebatur. Menstruatio regularis erat: infantem, 16 mensium, adhuc lactabat. Die 21 Februarii 1855, vespere, olei Ricini cochlearia 2 accepit, quae alvum liquidam saepius duxerunt. Ante 3

fere hebdomades, Taeniae fragmentum, plures ulnas longum et hebdomade ultimo elapso, nonnullos vermis deposuit articulos. Die 22 Februarii, hora 2<sup>1</sup>/<sub>4</sub> postmeridiana, infusum e pulveris Kouso drachmis 3 cum aquae ebullientis unciis 16, duabus dosibus, cum horae quadrante intermedio accepit. Quum vero alteram dosin assumeret, priorem fere totam evomuerat. Post dosin secundam frustula nonnulla Citri medicae assumsit, quibus nausea imminuit et vomitus sistebat. Hora fere 5<sup>a</sup>, prima vicè et 6<sup>a</sup> iterum alvum deposuit. In alvo secunda Taeniarum fragmenta et Ascarides aderant. Ab hora 6<sup>a</sup> ad 9<sup>am</sup> usque, septies alvum deposuit, ita ut aegra, absque ullo cathartico administrato, ex administratione florum Brayerae, nonies alvum deposuerit. Post usum medicamenti borborygmi crebri, dolores in abdomine pungentes et tenesmi ad alvum frequentes aderant. Hora vespertina 9<sup>a</sup>, aegrae conditio emendata erat. Per diem, sese a cibus abstinerat et infanti lactem non praeberat.

Quum fragmenta vermis diversa, quae simul sumta metrum fere longa erant, conspicerem, a tribus Taeniis soliis provenire, mihi apparuerunt. Tenuissima, articulis brevissimis praedita atque in filamentum quasi terminantia, erant. Capita at vero non aderant. Fragmentum unum, post expulsionem, adhuc vivebat. Aegra, ab hora 9<sup>a</sup>, alvum non amplius deposuit atque noctem quietam degit. Crastino vero die dolores in regione vesicae urinariae percepit, qui, quando urinam solvebat, non augebantur et mox evanuerunt. Die administrationis florum Brayerae, hora vesperti-



na 8<sup>a</sup>, infanti lactem praebeuit; crastino die, infans, vulgo alvo constipata qui laborabat, bis alvum liquidam, viridem, deposuit. Diarrhoea ista levior attamen eodem die cessavit. Duobus diebus post, foeminam quum iterum adirem, sanitate sese frui meliori, quam annis ultimo elapsis, testata est.

Liceat mihi etiam casus commemorare in quibus flores Brayerae in Ascarides vermiculares administravi. Sunt sequentes:

CASUS I. Mense Septembris 1852, puer 10 annorum, constitutionis sanae et robustae, qui Ascaridibus laborabat, sequenti usus est praescripto;

R. pulv. flor. Bray. dr. ʒ, inf. cum aq. ebull. unc. 6, adde mell. comm. unc. I, non coletur: detur cum toto. s. omni hora scutella.

Duabus horis post usum hujus infusi alvus copiosa, foetidissima, debitae consistentiae, insecta est, quae Ascaridium copiam continebat insignem; plurimae adhuc vivebant. Deinde bis alvum deposuit liquidiozem; prima denuo Ascarides nonnullas, viventes, continebat, in secunda nulla aderat. Symptomata, vermibus producta, post usum Brayerae, statim evanuerunt et intra 3 menses post remedii usum non redierunt. Puer ex remedii usu, nullas percepit molestias.

CASUS II, Puellula, 5 annos nata, sana, Ascaridibus valdopere vexata, infuso, ut supra parato et administrato, eodem mense usa est. Alvus, die administrationis, non insecta est; crastino vero die in alvo, quam deposuit, Ascaridium viventium numerus insignis conspici poterat. Etiam hoc in casu remedium benigne egit.

CASUS III. Puer 5 annorum, sanus, jam diu Ascaridibus vexatus, mense Februarii 1855, extracti florum Brayerae aquosi grana 40 cum syrapi communis uncia  $\beta$ , accepit. Per diem administrationis bis alvum solvit, Ascaridium viventium magnam copiam continentem. In alvo, crastino die deposita, non amplius aderant. Sapor puero non repugnabat, nec ullas molestias, ex remedii usu, passus est. Symptomata morbi omnia statim evanuerunt, nec adhuc redierunt.

CASUS IV. Puella, 9 annorum, Amstelodami nata, quae ibi semper degit, cujus familia Helminthiasi valde obnoxia erat, sese Taenia correptam ante menses nonnullos agnovit atque medicamina diversa in illam assumsit. Die 14 Januarii 1855, quum illam adirem, eadem symptomata accusabat, quae antea, dum Taenia correpta fuit, adfuerant, scil. appetitum irregularem, somnia crebra, dolores in abdomine, alia. Pupillae dilatatae erant, pulsus regularis, alvus tarda. De Taeniae praesentia incertus eram, quum unicum signum pathognomicum, scil. articulos in alvo, observare per longum tempus neglexisset. Hora 1<sup>a</sup> postmeridiana, cum usu electuarii (e pulveris Kouso drachmis 5 et syrupo communi q. s.), incepit. Hora 5<sup>a</sup> electuarium totum assumserat. Ad horam 6<sup>am</sup>, puella, quae a cibus sese abstinuerat, bene sese habuit. Post usum vero cochlearis, oleo Ricini impleti, nausea et vomitus oriebantur et puella sese valde aegrotare dicebat. Quum hora vespertina 9<sup>a</sup>, illam adirem, quiete dormiebat; pulsus regularis, habitus externus normalis erat. Die 15 Januarii. Puella noctem quiete degit; alvus at vero non insecuta erat. Per diem olei Ricini unciam 4 accepit,

ex cujus usu, alvus prima vespere et deinde septies insecuta est. In alvo Ascaridium vermicularium copiam insignem et fibras albas observavi, quas pseudomembranas agnovi. De Taenia nil conspicuum erat. Aegra per duos dies insequentes, alvum non deposuit; deinde sanitate fruebatur optima.

A nostro proposito haud alienum esse puto, si hac occasione experimenta cum floribus Brayerae in animalibus instituta, commemorem, scil. etiam in arte veterinaria viri docti nuper floribus Brayerae usi sunt cum salutari effectum 1) Doct. SCHWARTZ artem veterinariam qui exercet Nurenbergiae, remedium primum animalibus administravit et observationes sequentes communicavit. CASUS I. Canis 4 annorum, Taenia quam maxime vexatus, in illam medicamina varia frustra accepit. Post dietam bene administratam, infusum e florum Koussou uncia 3 et aquae unciis 10 bene agitatam accepit. Animal nil abnormale deinde praebuit. Horis 2 post, alvum quater deposuit aquosam. In alvo 2a, Taeniae cucumerinae duae aderant, quarum una unum, altera duos pedes erat longa. Post mensem elapsam canis sanitate fruebatur optima.

CASUS II. Caniculus, 2 annorum, infusum, e pulveris Koussou drachmis 2 et aquae ebullientis unciis 4 paratum, assumpsit sed evomuit. Crastino die infusum istud, addito succo Citri, iterum accepit. Horis 2 $\frac{1}{2}$  post, in alvo aquosa, Taeniam cucume-

1) Observationes istas benevolus mihi communicavit vir aestu-  
matissimus Doct. HECKMEYER, artem veterinariam qui in schola vete-  
rinaria Regia, Rheno-Trajecti, docet.



rinam, 4 pollices longam, deposuit. In alvo sequenti vermes non aderant. Ab hoc tempore caniculus Helminthiasi fuit immunis.

CASUS III. Canis, annum natus, infusum e florum Brayerae drachma I $\beta$  et aquae unciis 3, duabus in dosibus, cum semi-hora intermedia, accepit. In alvo aquosa, 3 horis post insecta, Ascaridium marginatarum copia aderat insignis; canis deinde sanus erat.

CASUS IV: Canis alter infusum e pulveris Kouso uncia  $\beta$  et aquae unciis 10 eodem modo accepit. Hora post alvum deposuit liquidam, quae Taeniae serratae fragmenta quatuor, 4—6 pedes longa, agglomerata, continebat. Deinde saepius alvum liquidam, absque dolore, ut videbatur, posuit, in qua Taenia serrata altera aderat. Canis sub curatione et deinde bene sese habuit.

CASUS V. Canis 7 annorum infusum e pulveris Kouso drachmis 5 et aquae unciis 9, una dosi, accepit. Horis 2 post alvum liquidam saepius deposuit, Taeniarum cucumerinarum copiam, 30 pedes longam, continentem. Vespere et crastino die, canis, ex dosi verosimile nimia, tristis et debilis erat; usu carnis intra 2 dies plane reconvaluit. 1)

BIBER, artis veterinariae peritus, qui est loco cui nomen Hof, etiam Brayeram sequentibus in casibus administravit.

CASUS I. Caniculus, 3 annorum, jam antea cortice radice Granatorum frustra usus, florum Brayerae drachmam 1 in aquae tepidae unciis 2, intra tres horae quadrantibus accepit,

---

1) NICLAS, Thierärztliches Wochenblatt 1852, s. 62.

Horis 2 post alvum liquidam absque doloribus saepius posuit, quae Taenias cucumerinas tres continebat. Animal, ab eo tempore, perfecta sanitate fruebatur.

CASUS II. Canis magnus, senioris aetatis, pulveris florum Brayerae drachmas 5 cum aquae unciis 9 accepit. Hora 4 $\frac{1}{2}$  post alvum deposuit, multas Taenias cucumerinas, pedem longas continentem. In alvo, quae dimidia hora post sequebatur, Taeniae cucumerinae nonnullae et Taeniae serratae fragmenta, 5 pedes longa, aderant. Canis deinde sanus erat.

CASUS III. Canis, annum natus, insultis epilepticis et convulsionibus laborabat, atque interdum in morsum pronus, possessori rabiei caninae metum injiciebat. Expulsio articularum nonnullorum usum florum Brayerae indicabat. Unc. 1 $\beta$  cum aquae unciis 9 accepit. Mox Taenias cucumerinas nonnullas et Strongylos Trigonocephalos duos (qui in ventriculo occurrunt) deposuit. Canis deinde sanus fuit et symptomata enarrata non amplius praebuit.

Casus IV Agno, Taenia ovina seu expansa correpto, infusum e florum Brayerae uncia  $\beta$  et aquae unciis 10 ita administraverunt, ut in ventriculum tertium animalis perveniret. Post horae quadrantes tres, postquam scibala ex intestino recto evacuata erant, in alvo aquosa, mucosa, Taenia expansa, 56 pedes longa, aderat. Quum agnum occiderent, in intestinis non alius vermis hujus speciei aderat. 4)

Nonnulla demum ex observationibus Doct. KÜCHENMEISTER,

---

1) NICLAS, Thierärztliches Wochenblatt 1852, s. 135.

argumentum meum spectantia, commemoranda sunt. Quum Doct. ille indagare vellet, quibusnam remediis Helminthes extra corpus animalium quam citissime necari possent, alio medio quam usitato, sc. aqua, usus est, quum vermes plurimi aqua intumescant imo vero dehiscant, ita ut, tali modo, observationem accuratam instituere non possimus. Materiem muco intestinali quantum fieri posset simillimam, sc. albumen, adhibuit. Infusum aut pulverem medicaminum indagandorum, cum albumine mixtus est atque mixturam illam ad 18—20 gr. incaluit. Substantias vero, quae ob acidum Tannicum in illis contentum, albumen praecipitabant, cum lacte miscebat. Tale in fluidum vermes viventes, ex intestinis gallinarum, felium et canum desumptos, transportavit et tempus observavit, pro quovis fluido ad vermes necandos necessarium. Electricitate vermes revera esse mortuos comprobabat. Nulla observatio ultra 40—48 horas durabat, quum Doct. KÜCHENMEISTER medicamina, quae vermes intra paucas horas necare non valebant, Anthelmintica specifica non haberet. De Taeniis primo, et cum floribus Brayerae sequenti modo indagationes instituit.

#### BRAYERA ANTHELMINTICA. KUSSOBLUME.

Es hat in der letzten Zeit wohl kaum ein Mittel so viel von sich reden gemacht als diese Blume.

1. Ich brachte eine lebende Taenia crassicollis, entnommen einer mit Chinin behandelten und bei meinen Milzexperimenten verwendeten Katze, am 28 October Nachmittags 4 Uhr, in Berührung mit einer Mischung von Dolichos pruriens mit Eiweiss. Der Wurm befand sich sehr wohl in



dieser Mischung, machte besonders anfangs die lebhaftesten Bewegungen und zeigte sich noch am 29 October Nachmittags 2 Uhr, also nach 22 Stunden, ganz munter und wohl. Da sich an ihm durchaus nichts Krankhaftes auffinden liess, so brachte ich die Taenia in ein Gefäss, worin ein Aufguss von Brayera und frisches und ausgekochtes Pulver derselben mit Eiweiss gemischt sich befand und zwar Mittags 2 Uhr. Sehr interessant war es mir nun, sogleich als der Wurm mit der + 50° R. reichlich warmen Mischung in Berührung kam, zu sehen, wie lebhaft er sich zu strecken anfang, wie er zumal seine letzten Glieder ausspreitzte, als ob er sie vom Körper lösen wollte, was jedoch nicht geschah. Schon um  $1\frac{1}{3}$  Uhr war die Taenia todt und während ich sie noch mit dem Mittel einige Stunden in Berührung liess, so machte ich noch einige Controleversuche über des Wurmes Leben. Der Wurm aber blieb todt und lag da mit ausgestrecktem Hals und Kopf bei geringeltem Hinterleib. Interessant ist die Farbe des Wurmes, der ganz schmutziggelbroth aussieht.

2. Ein mit Rademacher'schem wenigem Eichelauszug behandelter Hund enthielt mehrere Taeniae serratae, von denen ich 8 ganz unverletzt mit den Köpfen erhielt. Am 26 Novr. 1850 brachte ich zwei Taeniae serratae, beide wohl erhalten, in eine Mischung von Eiweiss und Braijera, wobei, wie oben, das Eiweiss wohl ein wenig gerann, doch eben die Masse nicht so fest machte, dass er ganz starr und steif stand. Mittags zwischen  $1\frac{1}{4}$ — $1\frac{1}{2}$  2 Uhr kam die Taenia in die Mischung und schon gegen 2 Uhr war die Taenia so

matt, das die Electricität nur noch in ein paar Gliedern der Taenia, ganz schwache Reaction erzeugte. Um 3 Uhr war der Wurm ganz todt.

5. Zwei Taeniae serratae von demselben Hunde wurden mit Brayera und Milch in Berührung gebracht und das Experiment wie alle vorigen angestellt. Um  $\frac{1}{2}$  2 Uhr Nachmittags wurden die Würmer hineingethan und schon nach einer  $\frac{1}{2}$  Stunde waren die Würmer todt und sogleich schlaff erweicht."

Postquam et observationes, aliis cum medicaminibus institutas, communicavit, Doct. KÜCHENMEISTER, medicamina, pro tempore quo Taeniam necare valebant sequenti modo ordinavit.

«In Brayera mit Milch abgekocht starben die  
 Taenien in . . . . .  $\frac{1}{2}$  St.  
 in Terpentinöl mit Eiweiss gemischt . . . . . 1 —  $\frac{1}{4}$  »  
 in Decoct. Brayerae mit Eiweiss . . . . .  $1\frac{1}{2}$ —5 »  
 in Decoct. rad. punic. Granat. mit Milch starben  
 die Taenien . . . . . 3— $3\frac{1}{2}$  »  
 in Decoct. rad. punic. Gran. mit Wasser mit  
 Eiweiss gemischt starben die Taenien. . . . . 3 »  
 in Extr. Filic. mar. aeth. mit Eiweiss gemischt  
 starben die Taenien . . . . .  $3\frac{1}{2}$ —4 »  
 in Ol. Ricini mit Eiweiss gemischt starben die  
 Taenien . . . . . 8 »  
 in einem Gemisch von Häringssalat mit Knob-  
 lauch und Zwiebeln in . . . . . 8 »  
 in Decoct. der Flor. Spiraeae ulmariae mit Eiweiss lebten

sie weit über diesen Termin; bei Darreichung von Cupr. oxyd. nigr. lebten sie noch nach 4 Tagen ganz munter im Wohnthiere. Im Wasser mit Eiss erstarren die Taenien sogleich und blieben nach 10 stündigen Verweilen darin und allmähigem Erwärmen des Wassers bis 20° für immer todt.

Demnach ist die Kussoblume das am schnellsten tödtende Anthelminticum.

Doct. KÜCHENMEISTER, quod Anthelmintica saepius non agunt, ex cathartici administratione intempestiva, repetit, qua medicamentum vermum per tempus, ad necandum requisitum, tangere nequit. Catharticum 4—6 horis post usum Brayerae administratum, minus nocet.

Indagationes in Nematodes etiam instituit, lacte tamen non usus est, quum Nematodes ex illo vim motricem, tractus intestinalis colorem brunneum et sugendi facultatem amittant. Cum floribus Brayerae sequenti indagavit modo.

#### BRAYERA ANTHELMINTICA.

a. Kussoblumenaufguss mit Eiweiss, wobei nur geringe Coagulation des Eiweisses erfolgte.

Am 28 October, Nachmittags 4 Uhr. Ascariden hinein und lebten noch am 29 October früh 11 Uhr.

Am 9 November, Nachmittags  $1\frac{1}{2}$  5 Uhr. 2 Ascariden in die Mischung, die Würmer lebten noch am 10 Nov. früh und werden erst Abends 10 Uhr todt gefunden.

b. Kussoblumenaufguss ohne alle Beimischung.

Am 6 December Mittags 12 Uhr, mehrere Ascariden hineingebracht. Sie lebten noch früh 11 Uhr, waren aber um 3 Uhr Nachmittags todt.



c. Am 5 Januar 1854 bekam ein Hund ein Decoct. Bray. Anth. nach vorhergegangener Darreichung von Ricinusöl. Am 4 Januar wurde der Hund secirt; die Ascariden lebten noch. Lebensdauer über 24 Stunden.

Medicamina, ita ut supra, in seriem sequentem ordinavit. Tod unter 1 Stunde Santonin, in Oelen gelöst.

Tod binnen 1—2 Stn. Kreosot, Kochsalz, Mercur. corros. in starken Gaben.

» » 2—5 » Steinöl, Cajeput —, Terpentinöl, Senf, schwächere Kochsalzsolution und unausgewaschene Häringsmilch.

» » 5—15 » Knoblauch, Zwiebel, Lorbeer, Würznelken, Holzessig, Rad. Punic. Gran., Tinct. Gallar, Natr. Sulf. in gesättigter Lösung.

» » 15—24 » Campher, Anis, Ingwer, Gentiana, concentrirte Hopfenabkochung, Ulmenrinde und Kussoblume.

» » 24 » Petersilie, Raute, Schafgarbe, Rainfarren, Baldrian, Chamille, Asa foetida, Gummi Ammoniac, Balsam. Peruv, Roob Juniperi, Extr. Thujae, Ol. Chaberti, Ol. Ricini, Aq. Picis, Kreosot verdünnt, Fuligo splendens, Aloë, Gummi Gutt, Galle, Wermuth, Myrrhe, Quassia, Hopfen, Pomeranzen, Kalmus, Ipecacuanha, Nux Jugl., China, Weidenrinde, Spir. ulmar., Querc. cortex, weniger Eichelauszug (R.), Sanguis Draconis, Catechu, Kino, Natr. Sulf. (schwache Lösung). 1)

1) Doct. KÜCHENMEISTER. Eine Revision der Anthelmintica. Archiv

Tabula ista, sic ait Doct. KÜCHENMEISTER, de Anthelminticorum actione notions praebet iis medicorum quam maxime contrarias. Medicamenta, quae vermem intra 24 horas necare non valent, Anthelmintica non habet. Flores Brayerae ex Tabula ista, non eadem vi gaudent in Nematodes qua in Taenias; attamen ad remedia activa pertinent.

Antequam huic dissertationi finem impono, liceat, quae tum aliorum, tum ex propriis observationibus, mihi efficere posse visus sum, commemorare.

Cuinam principio, flores Brayerae vim medicatam debeant, propter cognitionem hujus remedii chemicam inaccuratiorem, hucusque latet. Tute attamen illud in Extracto aquoso nequaquam ea quantitate inesse, ut Taeniam expellere valeat, statuere possumus, quum ambo, quae et orn. SIMON et ego paravimus, nullos ediderint effectus. Si ex unica observatione iudicium ferre nobis licet, pag. 448 commemorata, extractum aethereum principium agens etiam non contineret, ita ut resinae acrae, amarae, in illo contentae, non ea vi Taeniam necandi praeditae essent, quam Clar. PEREIRA illis tribuit. Doleo quod hac de re fusius indagandi occasio mihi defuit. Extractum aquosum, quod e floribus Brayerae, jam antea Aethere extractis, paravi, quum illud adhiberem, etiam inefficax mihi apparuit.

Quum vero reputamus, principia volatilia, tam exsicca-

tione plantae, quam praeparatione ad extracta, maxima pro parte deleri; — extractum tam aquosum quam aethereum, vi anthelmintica fere esse orbatum; — flores recentes in Abassinia longe efficacius agere et odorem adeo fortem ibi spargere, ut periculosum sit, sub arbore florenti dormire, haud improbabile videbitur, si principium agens, ex materia volatili ista repetendum esse statuimus. Hanc sententiam, me iudice insuper probat, quod ex omnibus praeparationis modis, quibus usus sum (licet alii decocti et electuarii efficaciam observaverint), infusum florum cum aqua ebullienti, in vase bene clauso, mihi efficacissimum apparuit. Dolendum tamen est, pro eo praeparandi modo, qui aegrotis plurimis ingratisissimus est et, irritatione ventriculi mechanica, saepius vomitum producit atque ita propositum non attingit, non alium magis gratum et commodum substitui posse. Quamvis noxiis abundat, attamen ob efficacitatem majorem, decocto, electuario, aliis, praefendum mihi videtur.

De actione florum Brayerae medicata, quam maxime dissentiunt viri docti, quum unus illis vim Taeniam necandi aut illius narcosin inducendi attribuit (OLIARI), alter flores virtutibus illis prorsus orbatos statuit (DAUBENAY, BARCLAY). Hic cathartici administrationem, ante et post florum Brayerae usum commendat, (BUDD), ille catharticiis ut plurimum non opus esse contendit (MITCHELL). Nonnulli modum praeparationis nullius habent momenti (BARCLAY), alii hac de re praescripta referunt fusiora. Attamen e casibus morbi, ab aliis observatis, satis superque apparent, quod 1°. sanatio



plurimis in casibus radicalis Brayerae usum insecuta est, quum caput vermis reperire licuerit; 2º. quod flores Brayerae, licet interdum diarrhoeam provocent, ut plurimum ad debitam actionem cathartorum administrationem, post illorum usum, desiderant, ita ut, saltem in Europa, vis cathartica illis non sit attribuenda;— 3º. quod remedium, pluribus in casibus, nullas produxit molestias; interdum ex ejus usu dolores colici, rarius cephalalgia et molestiae majores orta sunt; bis in urinae secretionem influxit; 4º. quod casibus in nonnullis sanatio temporaria erat, quum morbus rediret, sed casus isti rari, ratione habita casuum multorum in quibus sanatio radicalis erat, nequaquam remedii efficacitatem infirmant.

In casibus, quos mihi observare licuit, remedii actio physiologica in organismum humanum, me judice erat innocua. In hominibus sanis, sanguinis circulationem acceleratam, sensum urentem in faucibus et dolores in abdomine leviores observavi. Nausea et vomitus solummodo potionis volumini magno et pulveri in illo contento, attribui debent. In hominibus vero irritabilioribus, remedii actionem cathartam saepius observavi; interdum ex ejus usu aegrotabant, ita ut illis dosis modica porrigatur, necesse mihi videatur. Florum Brayerae usum, monente MITCHELL, nullius esse momenti in lactis secretionem, non assentiri possum. Casus, pag. 150 commemoratus, hoc reprobatur. Omnes molestiae, ex usu remedii ortae, brevi, aut sponte, aut usu emulsionis amygdalinae evanuerunt, ita ut certissime statuere possimus remedium, rite administratum, organismo innocuum esse.

Quoad actionem medicatam, flores Brayerae inter medicamina adversus Taeniam merito locum principem tenere, mihi videntur, primo ob illorum actionem organismo innocuam, porro ob administrandi rationem simplicem, i. e. absque ulla cura praeparativa, et tandem ob illorum efficacitatem. In quatuor casibus, a me observatis, post 9 menses praeterlapsos, de administrationis effectibus dijudicare quam tutissime potui. Tribus in casibus sanatio radicalis erat; in uno, morbus rediit. Hoc vero in casu conditiones aderant infaustissimae, quum famula, tractione licet cautissima, Taeniam verosimiliter ruperit. Numquam caput vermis inveni; satis superque igitur patet, non desperandum esse de effectu salutari, quando caput inveniri nequit.

Ex observationibus aliorum patuit dosin esse pro adulto drachmarum 4 ad uncias 2. Ego dosin drachmarum 12 absque molestiis majoribus administravi. Drachmae 3—7 vulgo sufficiunt. Actio inter  $\frac{1}{2}$ —24 horas, omnibus in casibus insecuta est.

Praeter casus morbi commemoratos, pluribus hominibus, qui sese Taenia correptos putabant (cujus vero unicum signum pathognomonicum, scil. articulos in alvo observare, mihi non licuit), flores Brayerae administravi. In omnibus remedii actionem commemoratam observavi. In Ascarides vermiculares, quando floribus Brayerae usus sum, efficacissime semper egunt.

## TABULAE EXPLICATIO.

Figurae 1. 2. 3. 4, quae in tabula inveniuntur, in itineris descriptione, a BRUCE edita, occurrunt. (Vol. V. pag. 69 et pag. 74.) Illas ad naturae fidem exacte delineatas esse, BRUCE affirmat. Icones Brayerae anthelminticae quas LAMARCQ et ROCHET D'HÉRICOURT ediderunt, iconibus a BRUCE editis simillimae sunt; absque ullo fere dubio, iconum a BRUCE confectarum apographum retulerunt. Figurae 5—13 occurrunt in parte IIa descriptionis itineris Doct. BRAYER, de qua videatur diss. pag. 9 Liber iste mihi ad manus venit quum dissertationem jam typis mandaveram. Clar. KUNTH icones confecit ad florum specimina exsiccata.

*Fig.* 1. Ramus Brayerae anthelminticae, qui imagines praebet praeclaras foliorum, paniculae et annulorum qui ad ramos occurrunt.

*Fig.* 2. Foliolum.

*Fig.* 3—4. Flores.

*Fig.* 5. Flos completus, quoad veram magnitudinem valdopere auctus. (Monente KUNTH, flores Brayerae magnitudinem florum Agrimoniae adaequant.)

*Fig.* 6. Floris dissectio verticalis e qua pistillorum positio et insertio staminum perigyna conspici potest.

*Fig.* 7. Fragmentum floris exsiccati.

*Fig.* 8. Petalum.

*Fig.* 9. Stamen.

*Fig.* 10. Stamen, quoad magnitudinem auctum.

*Fig.* 11. Pistilla.

*Fig.* 12. Pistilli dissectio verticalis, e qua ovuli insertionem conspicere licet.

*Fig.* 13. Ovulum.



Fig. 6.




Fig. 5.




Fig. 1.



Fig. 10.



Fig. 7.



Fig. 2.




Fig. 13.



Fig. 8. Fig. 9.



Fig. 11.



Fig. 12.



Fig. 4.




Fig. 3.



## T H E S E S.

---

### I.

Acidum carbonicum nullam directam habet efficaciam in sanguinis colorem.

### II.

Absorptio adipis in tractu intestinali et vasis lymphaticis et vasis sanguiferis perficitur.

### III.

Male agunt qui Santoninum aqua solutum praescribunt.

### IV.

Non assentior Clar. OESTERLEN dicenti, flores Arnicae inter medicamenta leniter excitantia recensendos esse.

2

V.

De pathogenesi morbi Brightii nondum constat.

VI.

Articulorum dejectio unicum Taeniarum sistit signum pathognomicum.

VII.

Ex observationibus Doct. DIETL nequaquam concludere licet, a venae sectione in peripneumonia abstinendum esse.

VIII.

Ab Opio in morbis inflammatoriis non semper abstinendum est.

IX.

Melius medico est sistere gradum quam progredi per tenebras.

X.

Non iis assentior, qui reunionem fracturae per primam intentionem negant.



## XI.

Curatio fistularum ope compressionis reprobanda.

## XII.

Non negligenda sunt quae egregie jam monuit illustris BOERHAAVIUS de carcinomatis curatione: «cancer magnus, vetus, adhaerens, locis extirpationi ineptis situs, vasis magnis accretus vel incumbens, a causa interna ortus, in corpore senili, cacochymico, ad cancerum composito, aliis jam canceris in eodem corpore sociatus, nec ferro, nec medicamentis, tangendus est (Aph. 505). Hoc in statu adspiramus ad duo: quietem mali, lenimen symptomatum» (Aph. 506).

## XIII.

Immerito hodierni de Epitheliomate, quasi de novo morbo disputant. Est nihil aliud nisi carcinoma epitheliale a chirurgis jam hoc nomine descriptum.

## XIV.

Egregie VELPEAU de amputatione: «dernière ressource de la chirurgie, l'amputation ne doit être pratiquée, qu'en désespoir de cause.»

## XV.

Haemorrhagia, membranis intactis, durante uteri contractione, e placenta praevia est.

## XVI.

Chloridum formyli in Eclampsiam remedium est unum ex efficacissimis.

## XVII.

Praxis obstetricia in partibus naturalibus, obstetricibus relinqui debet.

## XVIII.

Brephotrophia rejicienda statuo.

## XIX.

Jusjurandum artis peritis, Art. 89 codicis dicti «Burgerlijke regtsvordering,» in casu medico-forensi impositum, reprobandum.

## XX.

Recte CHOMEL: «Toutes les fois qu'il y a de l'incertitude sur la contagion, il est du devoir des médecins et des autorités administratives d'agir comme si la contagion était démontrée.»